IVLII PERVSCI
PATRICII ROMANI
EPISTOLARVM
LIBRI SEX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
1893

ALEXANDRO SFORTIAE
SANCTAE RO. ECCLESIAE
CARDINALI.

Iacobi Columnae



VENETIIS,
Apud Ioannem Baptiſtam Somaſchum.
M. D. LXVIII.

ALEXANDRO SFORTIAE,
SANCTAE RO. ECCLESIAE
CARDINALI;
MARIVS PERVSCVS
IVLII FILIVS
S. P. D.

SOLENT ii, qui aliquod ſcriptum edere in lucem conſtituunt, petere præſidium ab eis viris, qui animi altitudine & virtutum inſignibus præſtant; vt non ignari illi, quanti facienda, quamq; etiam omni virtus digna ſit pręmio, poſſint ſuis opibus fouere, ſuaque auctoritate contra inuidorum animos munire eiuſmodi hominum genus, qui ad immortalitatis laudem properantes nomen eorum, qui de ſe optimè ſunt meriti, æternum facere contendunt. Ego verò, qui tota mente, & ſtudio omni elaboro; vt aliquid à me in vulgus exeat, licet me eximia tua ornamenta ad fidem, & auxilium tuum implorandum non hortantur ſolùm, ſed accendere quaſi videntur: vetere tamen meorum maiorum obſeruantia, & neceſſitudine, quæ ſibi cum tua familia vniuerſa interceſſit, & magna inprimis de te Iulii parentis mei opinione, hoc facere coactus ſum: ex

quo audiueram iam inde à puero; cum non ſolum domi noſtrę priuatim; ſed publicè etiam in ſingulis collocutionibus de te ſæpe commemorabat; nihil eſſe in virtute tantùm, ac tam præſtans, quod non ad te per ſummum decus, perque ſummam honeſtatem peruenerit. Animaduertit enim ipſe, ac didicit ex tuæ vitę curſu; te prudentiam iam adeptum florentiſſimo tuæ ætatis tempore coniunctam cum iuſtitia, & integritate; te celeri motu eſſe, & animi, & ingenii ad excogitandum ea, quibus homines, qui ſpem omnem in te habent, poſſis iuuare; te religionis pietate nunquam defunctum, nunquam à te pietatem nè vultu quidem lædi; te doctrinæ cognitionem à libris petitam in grauiſſimis cauſis pulchrè explicare; te virorum fortium conſtantiam tam in deſpiciendis humanis, quàm in ſententiis in Senatu dicendis imitari; te vſum rerum magnarum percellere: ad optima, ad alta, ad longinqua tam præſtò, tam paratum eſſe, vt niti iam poſſit res Chriſtiana publica ſingularibus his, ac propè diuinis animi tui dotibus. Quibus quidem rebus adductus parens ipſe non potuit non ſummopere optare, te ſupremi domini, ac Principis loco habere; tibique tali viro, talique Cardinali fortunas, & liberos omnes ſuos tradere in fidem, ac tutelam. Hæc vox, hæc

non exigua ſuæ erga te voluntatis ſignificatio impulit me; vt curam, & cogitationem ſuſciperem, quo nam obſequio patrem tueri poſſem; cui omnia ſingularia ſtudia, omnem pietatem me magis debere ſentio, quàm cæteri liberi ſuis parentibus. Quare cum ſic exiſtimauerim, nihil illi ſanctius, nihil antiquius futurum eſſe, quàm vt me tibi totum, quantuluſcumque ſim, dedam vni, meque vt in fidem, & clientelam tuam conferam; collegi me ipſe, & cum animo meo etiam, atque etiam cogitaui, hoc meæ uoluntatis ſpecimen, hoc mei cultus in te indicium fore; ſi non nihil patris mei uigiliarum in tuo nomine appareat, nonnullasque literas mea diligentia collectas, quibus idem pater cum ſuis familiaribus, & cum multis claris uiris latinè agebat ſub tuæ celebritate famæ emitterem, præſertim cum ad ſummas eas laudes, in quibus te poſitum uidemus, magnus accedat ex hoc ipſo cumulus, quòd grauisſimis curis, & occupationibus asſiduè diſtrictus aliquid interdum temporis in optimarum artium ſtudiis libentisſimè conſumis. Ex quo facilè mihi perſuadere debeo: te hoc quoque ſcriptorum genere, & harum lectione epiſtolarum delectari poſſe: quas equidem non eò ex meis manibus exire uolui; ut ex harum

vel grauitate in ſcribendo, vel humanitate in rogando, vel diligentia in commendando, vel facilitate in explicando quicquam afferam ad communem fructum, neque præterea, ut aliquid in ipſis, quod concinnum, aut doctum ſit aliquidq; ingenii lumen eluceat. Longè enim alia conditione ſe is eſſe intelligit, quàm docti, & in doctrinis verſati: Sed quando ea viſa eſt impendere antehac inuidiæ tempeſtas nauis, & induſtriis hominibus; vt benè ſuæ fidei cōſultum exiſtimauerint ſuperiorum principum adminiſtri; ſi vni ii, qui aut parum idonei, aut rudes exemplorum, aut rerum imperiti publicis pecuniis, publicis muneribus erigerentur; non poterit mihi non eſſe iucundum meum de his imprimendis epiſtolis iudicium. Nam eos puto, qui has in manus ſumpſerint, ſic de illius temporis iniquitate, ſic de illorum in adminiſtrando ratione interpretaturos; vt neque patri ſuſtentanda ſit ſuæ incommodæ fortunæ culpa, in quo nulla vnquam fuit inertiæ, nulla improbitatis ſuſpicio; neque vt ego videar ex patre planè indiſerto natus. Quocirca te oro (permagne Vir) atque obteſtor; vt paratus nunc ſcutis, ac telis exiſtimationis tuæ aduerſus curioſorum impetus, qui rabido quaſi morſu feriunt, & carpunt, velis huic meę voluntati fauere, adiutorq; eſſe; nec non tam promptum, atq; alacrem ad te obſeruandum,

&c.

& colendum animũ meum ſatis iam perſpe-
ctum, & cognitum habere: Quem quidem ſi intellexero ex aliquo inſigni tuæ erga nos benignitatis indicio non reiici à te, neque contemni, hoc vnum pugnabo, & enitar; vt quantæcunque futuræ ſunt meæ vel laboris, vel ingenii fruges, ita conferam ad colligendam tuorum meritorum memoriam; vt omnes cum in præſens, tum in poſterum ſentiant nihil me de grati hominis dignitate diſceſſiſſe. Vale.

IOAN. BAPTISTA GABIVS ALEXANDRO SFORTIAE SANCTAE R. ECCLESIAE Cardinali.

SI rura Dei Optimi Maximi benignitate conceſſa mortalibus ad ferendas vitæ neceſſarias fruges, ea hominum cura, atque induſtria fraudarentur, quam neceſſariò requiri videmus, nemini profectò dubium eſt (Antiſtes ampliſſime) quin tritici, farris, hordei, aliarumq́ue rerum vtilium loco, ea nobis procrearent, quæ vel paruo, vel nulli potius vſui forent: qualia ſunt lolium, tribuli, cardui, & id genus, quæ minus culta terra gignere conſueuit: neque enim aurea illa fabuloſa noſtra eſt ætas, vt quæ à natura proficiſcuntur, ea ſine artis auxilio perfici queant: ita proborum adoleſcentum ingenia, qui optima indole præditi à teneris annis maximam ſpem ad maturam frugem perueniendi præ ſe ferunt; niſi eruditorum hominum doctrina diligenter exculta, ſummorum quoque virorum patrocinio quaſi adminiculis fulciantur, haud facilè poſſunt concitatæ de ſe hominum expectationi reſpondere. Quo circa hinc fieri arbitror, vt noſtra hac tempeſtate, cum optima, ac præſtantiſſima

ma minimè deſint ingenia, ij tamen fructus deſiderentur, quos illa uidentur ſine vlla controuerſia meritò polliceri: Cum agris fœcundiſſimis optimi deſint coloni: Verùm in hoc rerum ſtatu, & hac temporum conditione maximam ijs deberi laudem cenſuerim, qui ſe tales præſtiterint; vt ingenia, quantum in ſe eſt, fouentes, hac ipſa culpa penitus vacent: In quorum numerum te Principem (Antiſtes optime) aſcribendum inficiari nemo poterit, qui non modò tuis domeſticis inuitatus exemplis, ſed etiam tua ſponte incitatus veræ virtutis patrocinium ſuſcepiſti: & hac potiſſimùm de cauſa Iulij Peruſci viri optimi, tuæque amplitudini deditiſſimi filius cupiens parenti, quàm ſimillimus euadere, te vnum ſibi animaduertens patronum contigiſſe, vt teſtatum omnibus relinquat quàm libenter conſilium, atque inſtitutum patrium approbet, qui ſe tibi in perpetuam ſeruitutem dedicarit, ſtudioſè operam dedit; vt aliquot ex multis, quas idem Pater ſcripſit epiſtolas non inelegantes, & cum eruditionis plenas, tùm illius loquendi libertatis, quam profectò hæc tempora poſtulant, colligeret; easque tuo nomine munitas in lucem ederet. Sciebat enim, quanuis puer, ampliſſima te familia ortum, vel proximis diebus fratrem habuiſſe, cuius in comparanda illa tam celebri bibliotheca eximia liberalitas apparuerit, quam quidem multorum diuitijs, & opibus iure optimo

exiſtimat

ſe ſpecimen dare cœperit, non verebor ego tua fretus eximia, ac ſingulari humanitate, quam ille ſemper habet in ore, à te petere: vt quando ipſe in tuam ſe fidem, clientelamq́uè contulit, nè deſiſtas fouere, tueri, &, vt liberius loquar, amplexari: vt tua vnius ope, parente tandem ſuperior effectus, eos edat fructus, quos olim tuo muneri ſe debere fateantur homines literati, tibiq́ue perſuadeas non alia ratione facilius ad veram gloriam, quæ tuis omnibus ſemper propoſita fuit, perueniri poſſe. Vale, meq́ue tuarum virtutum amãtiſſimum ama.

ALEXANDRO SFORTIAE
SANCTAE RO. ECCLESIAE
CARDINALI,
IVLIVS PŒRVSCVS.

MARIVS filius meus ita inflammatus, & incenſus eſt cùm ex meis verbis; tum ex communi cęterorum hominum ſermone ad omnia in te ſingularia officia, ad omnemque tui cultum; vt neque vllo in munere tam ſibi eſſe contendendos ingenij, atque induſtriæ neruos, quàm vt appareat interdum inſigne aliquod ſuæ perpetuę erga te voluntatis indicium; neque vllo deniq; præſidio exiſtimet ſe munitiorem fore ad percipiendas, & conſeruandas eorum ſtudiorum fruges, in quibus asſiduè verſatur, quàm tui altitudinis animi comitatu, & tuæ eximiæ virtutis exemplo. Itaque cum nondum liceat ei per ætatem aliquid ex ſuo edere, quo posſit tuas diuinas complecti laudes; has meas rudes, atque indoctas literas, quas ego ipſi ſua manu tranſcribendas credere ſolebam, voluit, ſe vno duce, ſeque ipſo met auctore, exire, atque in vulgus emanare: In quo quidem, tam etſi non meum, ſed ſuum potius ſecutus ſit conſilium,

cùm

cum nonnullà labeculà poſſet ex hac ſua cupiditate aſpergi noſtro pudori, reformidanti plane ſeueram inuidorum cenſuram; tamen quando & ſub tui nominis ſplendore hę ſunt futuræ tutiores ab eius hominum generis turpitudine, ac liuore, & tuum præterea grauiſsimum, celebratumque nomen in noſtris etiam ſcriptis condetur iam, & collocabitur; non potui, quæ mea præſertim in te firma, & fidelis eſt obſeruantia, ab obſequio, indulgentiaq; filij diſcedere; atque eo maximè quòd pietatis me in primis, ætatis illum, ac neceſsitatis excuſatio, utrumque deinde noſtrum ſumma illa tua prudentia, & humanitas, in qua omnis priuatarum rerum noſtrarum ſpes poſita eſt, defendet.

INDEX COMMONSTRANS

cui ſcribat.

A Doardo à ſecretis Alphonſi Carrafæ S. Rom. Eccl. Cardinalis epiſtola. 2
Alphonſo Carrafæ S. Rom. Eccl. Card. 3
Adoardo à ſecretis Alphonſi Carrafæ S. Rom. Eccl. Card. 4
Aloiſio Cornelio S. Rom. Eccl. Card. 14
Angelo Laſcaro. 29
Alexandro Farneſio S.Rom.Eccl.Car. 43
Aloiſio Cornelio S.Rom. Eccl.Car. 44
Antonio Mariæ Saluiato Epiſcopo. 47
Alexandro Sforziæ Epiſcopo Parmen. 51
Alexandro Sforziæ Epiſcopo Parmen. 52
Alexandro Sforziæ Epiſcopo Parmen. 53
Aloiſio Cornelio S. Rom. Eccl.Car. 54
Alexandrino S. Rom. Eccl. Car. 67
Alphonſo Ieſualdo S. Ro.Eccl. Car. 68
Bernardino Scoto Sabino S. Ro. Eccl.Car. 9
Borromeo N. Sanctæ Ro.Eccl.Card. 16
Borromeo N. Sanctæ Ro.Eccl.Card. 17
Borromeo N.Sanctæ Rom.Eccl.Car. 18
Borromeo N.Sanctæ Rom.Ecc.Card. 26
Borromeo N.Sanctæ Rom.Ecc.Car. 27
Camillo Peruſco Epiſcopo ſuo Fratri. 46
Deimio Hagienſi. 34
Fratribus 48
Fratribus 50
Franciſco Gonzagæ S.Ro.Eccl.Card: 10

Federico

Federico Cornelio Epiſcopo 58
Fuluio Corneæ S.R o. Eccle. Card. 63
Guido Aſcanio Sfortiæ S.R.Ecc. Card. 5
Guido Aſcanio Sfortię S.R.E.Card. 8
Guido Aſcanio Sfortię S.R.E.Card. 10
Guillelmo Sirleto S.R.Ecc.Card. 56
Guillelmo Sirleto S.R. Ecc. Card. 60
Guido Aſcanio Sfortiæ S.R.E.Card. 31
Guillelmo Sirleto S.R.Ecc.Card. 64
Hoſtilio Hectoreo. 39
Hoſtilio Hectoreo. 40
Iulio Tertio Pontifici Max. epiſtola 1
Iulio Herculano. 36
Ioanni Antonio Clario 37
Laini ordinis Ieſuiti Generali. 20
Leonardo Columbino. 49
Marco Antonio Columnæ Archiepiſcopo Tarantino. 22
Matteo Priulo Epiſcopo. 23
Marco Antonio Colũnæ S.R.E.Card. 24
Marco Cornelio. 30
Marcello Pallono. 35
Marco Antonio Amulio S.R.E.Card. 59
Mutio Paſſamontio. 61
Nicolao, Ioanni Paulo, & Octauio fratribus. 41
Pompeo Zambeccario Epiſcopo Valuen. 11
Pompeo Zãbeccario Epiſcopo Valuen. 13
Pio Quarto Pontifici Maximo 15
Poli-

Policaſtri Epiſcopo N. 21
Paulo Odeſcalco pro Auditore camerę apoſtolicę locum tenenti. 25
Paulo Spinello ſuo. 28
Pio Quarto Pontifici Maximo. 55
Petro Guicciardino pro auditore Ca, 62
Pio Quinto Pontifici Maximo 66
Quibuſdam ſuis affinibus 42
Rainutio Farneſio S.R.Eccle. Card. 32
Rainutio Farneſio S.R.Eccle. Card. 38
Sebaſtiano Vantio pro auditore cameræ 33
Triuultio N. Sanctæ R.Eccle. Card. 6
Triuultio N. Sanctæ R.Eccle. Card. 7
Torcellæ Epiſcopo N. . 12
Vitellotio Vitellio S.Rom.Eccle.Card. 57
Vitellotio Vitellio S.Ro.Eccl.Card. 65
Zaræ Archiepiſcopo N. 45

IVLII PERVSCI
PATRITII ROMANI
EPISTOLARVM
Liber Primus.

IVLIVS PERVSCVS IVLIO III. PONTIFICI MAXIMO.

I

NON audeo, Pater Sancte, nunc tibi ullo uerborum genere gratias agere pro tam ſingulari ſtudio, & beneficio, quo me paulò ante proſequutus es. Eiuſmodi enim eſt tuæ Sanctitatis humanitas, ac liberalitas; ut cum poteſtate, & amplitudine maximis omnibus antecellas Principibus, maior tamen in ſola ipſa humanitate, ac liberalitate, quam in uniuerſa poteſtate, & amplitudine innititur tuarum laudum gloria. Quapropter cum nihil planè mecum ipſe eſſe reputem, quod poßit tuæ benignitatis præſtantiæ, magnitudiniq́ue reſpondere, cumq́; optima, & perpetua mea erga te futura ſit uoluntas; hunc uelis gratum, promptum, atque alacrem ad te uenerādum, & colendum animum, quo imprimis uno Chriſtus ſaluator mouetur, & gaudet, perſpicere, atque amplecti.

IVLIVS PERVSCVS ADOARDO à ſecretis ALFONSI CARRAFAE Sanctę Ro. Eccleſiæ Cardinalis.

2

ADMIRABILI, qua fuit in me ſæpenumero liberalitate, atque humanitate optimus Pontifex, ea me idem heſterno die cum libenter, tum benignè amplexus eſt. Quod cum mihi ex ampliſsimi Alfonſi ſtudio, atque auctoritate contigiſſe mecum reputarim; tantam eorum utriuſque benignitatem non ſilentio prætereundam duxi; præſertim quando ego, quæ aut memoris, aut grati ſunt hominis munera ullo tempore non ſubterfugi. Itaque pro ea, quam debeo talibus Principibus gratiarum actione non nihil nunc mearum literarum indoctè, inculteque exaraui, quas ad te huic ſpectatiſsimo iuueni reddendas mitto. Has etenim confido ex tuæ inſequentis commendationis efficacitate non parum apud eum ponderis habituras. Sed oro tamen te, atque obſecro, humaniſsime Adoarde, ut idonei temporis opportunitatem ad illas reddendas pro tuo ſingulari iudicio nanciſci ſtudeas; ne propter maximas ipſius occupationes maior fortaſſe cumulus ad mearum literarum inſcitiam accedat.

IVLIVS PERVSCVS ALFONSO Carrafæ Sanctę Rom. Eccleſiæ Cardinali.

3

SI mihi liberalitas optimi atque humaniſsimi Principis quæſita foret ; nihil hercle potuiſſet fieri beneficentius ergà me ; quàm factum eſt cum à Beatiſsimo tuo magno patruo, qui me toties iam, & nunc denuò ex tuo ſtudio, tuaque auctoritate ſanctiſsimis pedibus aduolutum ità libenter amplecti ſua pietate uoluit ; ut nullas meas preces apud aures ſuas irritas eſſe paſſus ſit ; tum uerò à te ipſo paulò antea, qui domeſtica tuorum maiorum exempla tam egregiè, tam diligenter expreſſeris, & benignitatis, & prudentiæ: ut te uel talibus ſupra ætatem uirtutibus præditum ſuſpiciam, uel eis futurum itidem honoribus digniſsimum, quibus in præſentia auctus es, iudicio meo comprobauerim. Quorum quidem amborum, & humanitatis, & beneficentiæ magnitudini, quoniam mea tenuitas, neque pari ingenij ui, neque uerborum copia reſpondere ulla poteſt; non nihil tamen officij mei proſequar in eo, quod erit in me ſitum; ne grati uidear hominis prorſus intermittere munia. Itaque orare te, atque obteſtari ſummis precibus, Alfonſe ſpectatiſsime, non deſiſtam; ut id ſuſcipias, ac perficias, quod mihi deeſt; & quas ego gratias uerè, digneque nec audeo, nec poſſum, tu Pontifici Maximo admirabili, qua es

in omnes humanitate, non meis ſolùm uerbis, ſed tuo etiam nomine interdum agere uelis. Nam quæ ad me profecta ſunt ab illo beneficia, quæque etiam proficiſcentur, ea à te profecta eſſe in me nunquam non mecum ipſe reputabo. Quare cum maximam utriſq; ueſtrum gratiam debeam, cumque ſatis animo erga uos facere, cupiditatiq; meæ non queam; in hoc uno meos omnes neruos contendam, ut ne ullum quidem ueſtrorum erga me meritorum ueſtigium unquam appareat, quod uel non ſtudeam quocunque rerum ſtatu in intimis meis ſenſibus perpetuò, ſanctéque ſeruare, uel non ſim grata inter mortales prædicatione aßiduè proſequuturus. Vale Alfonſe optime, meque gratia tuere, ac præſidio tuo.

IVLIVS PERVSCVS ADOARDO à Secretis Alfonſi Carrafæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

4

COGNOVI *equidem ex illa tua ſingulari commendatione, tuoque acri ſtudio, quo antea pro me uſus es apud optimum, atque amplißimum Alfonſum Carrafam; quanti me feceris, mi Adoarde, cognoui inquàm: quo tamen iure? nullo quidem, ut uidere mihi uideor. quis enim ego ſum, ut curæ tibi fuerim tantæ, qui*

me

me prope non noueris? Tanta uerò tua eſt facilitas, humanitaſque, ut me ſemper hilarè acceperis, & quam liberaliſſimè complexus fueris, tantumque ingenij tui lumen, mentiſque acies, ut ueluti Sol ſuis tranſuerberans radijs nubes, easque ex opacis, atriſque raras, albaſque reddens cuncta ſua luce luſtrat, & complet: ita & tu ab animo meo tanquam ab oculis caliginem diſpellens, aut quæ in me non ſunt bona, aut quæ ſunt meliora uideas, quam ſunt. Hoc nomine quantum tibi debeam agnoſco, utinamque, ut mihi in hoc agnoſcendo ſummum non deeſt ingenium, ita par daretur facultas in perſoluendo: profectò gratiorem hominem, & qui magis tibi tua cauſa deberet, haberes neminem. Hoc tamen uti uerbis polliceor; ita re præſtaturum me magnopere confido, nullum tuum apud me unquam officium eſſe intermoriturum. Quis etenim toto terrarum orbe inueniri me poſſet nequior, hoc ſi non præſtarem? Qua de re illud interim te rogare, atque obſecrare, humaniſſime Adoarde, non prætermittam: ut cum tu in me commendando huic ornatiſſimo ſpectatiſſimoque iuueni aliquanto liberalior, ac profuſior fueris, quam mea merita uideantur poſtulare, meque talibus nunc officiorum initijs, tamque inſigni tuæ uoluntatis indicio in amicitiam tuam recipere uolueris; ita & eius in me ſummam benignitatem cum tui ſtudij diligentia, tum tuarum aſſiduitate

commendationum confirmes: & tuum præterea in me diligendo iudicium nunquam infirmum eſſe patiaris. Vale.

IVLIVS PERVSCVS GVIDO
Aſcanio Sfortiæ S.Ro.Eccleſiæ Cardinali.

5

C*Vm harum ab initio calamitatum, quibus nos omnes acerbiſsimè affliɛtamur, cruciatu angerer maximo, ac penè incredibili; cumque dies, noctesque ob proxima noſtris imminentia fortunis, ſedibuſque incendia; quæ nõ aqua, ſed ruina reſtingui poſſe uiderentur, meus me mœror quotidianus laceraret, & conficeret, adeò mihi de mei firmitate iudicij uerendum erat, ut quo me ſolatio leuare, quo conſilio confirmare, quoúe me terrarum tutò transferre poſſem facilè non reperirem; neque planè mihi grauiter mœrenti commodius quid, uel antiquius præſidij aduerſus moleſtiſsimas uexationes præſeferebat, quã ut nonnullis reiectis, quibus potiſsimùm urgebar animi affectibus, ad quandam quaſi bonarum artium recordationem, ſtudijque à me diutiſsimè prætermiſsi, & ad libros uolutandos confugerem: quibuſcum tantum adducor hercle inire conſuetudinis, quantum eo legendi, ſcribendique interuallo tum inteſtinis lãguoribus paululum erigi animus, tum aſsidua huiuſmodi teterrimorum temporum co-*

gitatione minus diſtineri queat: In quibus, orbis terrarum turbato ſtatu, tua in primis uirtus, integritas, & ſapientia ſplendidiſsimus tanquàm in tenebris fulgor enituit. Hoc igitur nomine mirari neutiquam debebis, ſi quidem ego & prudentia, & eruditione deſtitutus, ac planè undequaque orbatus tibi prudentiſsimo, eruditiſsimoque uiro latinis auſim literis obſtrepere: atque eò maximè, quòd mihi perſuaſiſsimum habui, non eſſe aut alienum tua grauitate, aut abſonum ea benignitate, cuius maximam uſquequaque uoluiſti præ cæteris tuis ornamentis gloriam uigere; ut meas quocunq; uerborum genere ſententias ad te familiariter deferam, qui plurimum non in uerba, ſed in rem, animumque tuorum fidelium ſoles oculos, mentemque conijcere. Ego te unum iam diu ab adoleſcentia comperto iudicio, non caſu ex uniuerſo ampliſsimorum patrum, uirorumque ordine mihi eximiè colēdum, atque obſeruandum ſelegi; te unum conſtitui auctorem, et adſcriptorem dignitatis meæ, tibique itidem uni meam omnem operam, rationes, facultateſque omnes, quantulæcunque fuerint, perpetuò dicaui. Et quoniam neque optimæ tuæ in me uoluntatis declarandæ, neque conſtantis in te meæ fidei uſus præſtandæ aliquando euenit; ardeo tamen cupiditate incredibili, ut illud tibi exploratiſsimum ſit, me, qui nulla unquam rerum uiciſsitudine à ueteri meo inſtituto deterrebor, fore tibi nunc ali-

quantùm fortunæ iniuria iactato addictum, ac deditum; inque eiuſmodi opinione magis, magiſque in dies ſic permanſurum; ut mihi firmiſſimè in animo ſtatutum inſit, meos quoſcunque poſteros non modò in hac ipſa obſeruantia, & cultu rectè perſeueraturos, uerùm etiam ſub tuo patrocinio, ac numine, ſub tua, tuæque familiæ ſempiterna ditione naſci, & educari. Quo fit; ut te orem hoc tempore, atque obteſter, ut duos ex me filiolos tuo amore, tuo gremio, atque humanitate confouendos, ac amplexandos non recuſes: alterum, ſcilicet, olim in ſacro batiſmi fonte egregiè ſuſceptum à præſtantiſſimo Balduino Montio, cui tum uir ille inclytus Iulianus Cæſarinus, Lælius de Cere Vrſinus, Archiepiſcopus Maffeus, ac Franciſcus de Aſpra fiſci tunc præfectus unà in diuinis ritibus omnes affuerunt; alterum præterea, quo me Deus nocte heſterna felici uxoris partu auctũ fecit: Hunc aueo à te tuo ſtudio, tua fide, cum is primis ſanctis Chriſto ſit initiandus myſterijs, ex aquaque, et ſpiritu ſancto, ut noſtrorum more theologorum loquar, propediem renaturus; pie, paterneque ſuſceptum iri; atque ità pol aueo, ut bonis ipſe adductus conſilijs in me animi tui ſigna, atque indicia commodiore loco abs te expetere non poſſim: tùm quòd talem beneuolentiæ ſignificationem diuturna iam mea ſpes de te, & tua humanitas, atque conſtantia poſtulat: tum quòd huiuſmodi munus non cupio à

præſtanti-

præſtantiſsimis Bellayo, & Cornelio Cardinalibus unà cum Gaditanen. Epiſcopo, niſi tua præeūte auctoritate obiri: tum demum, quòd tua uidetur amplitudine dignum, laudabile, atque glorioſum, quem humanis non potueris adhuc ſuffragijs afficere, diuinis me tibi iam uiginti addictū annos beneficijs ornare. Quòd ſi me hoc per opportuno, & expectato proſequi uolueris munere, tuisq́ue hiſce honoribus indignum non exiſtimare; patieris pro tui altitudine animi ipſum tibi puerum infantem ornandum, ac ſuſcipiendum, quem tibi iam ex hoc tempore addico, tradoq́ue tuæ poteſtati, ad ſtatutam eius nominandi diem ab Chriſti Antiſtite tuo proprio, & illuſtri nomine nuncupari: ut ſplendidiſsimo, ac uenerabili admodū nobis Aſcanij Sfortiæ nomine domus mea perſonet uniuerſa.

IVLIVS PERVSCVS. N. TRIuultio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Card.

6

VIDE, quanta inſit uis meo in præſenti, expectatoq́ue iam diu gaudio, quantam uoluptatem acceperim, & quo fructu iucunditatis fuerim cumulatus ex amplificatione dignitatis tuæ. Nam ego cum prudentiæ, tum eruditionis expers audeo nunc tibi prudentiſsimo, ac eruditiſsimo uiro latinis gratulari ſermonibus. Ita quidem ſum lætatus: ut nullo prorſus ex mearum

genere

genere literarum facere coniecturam poſſes: atque eò magis, quòd ex pauciſſimis, quæ maximè concupiui plurimis ab hinc annis, hoc mihi imprimis gratum, optatumque accidit. Factum eſt autem immortalis Dei benignitate; ut meum gaudiũ omni ex parte fuerit expletum: præſertim quando ſine ambitione ulla, ſine mora, contradicente nemine, omnibus ſuffragijs Cardinalis ſtatim renuntiatus es. Venio igitur nunc uerè atque ex animo tibi gratulatum his literis de ampliſſimis tuis ornamẽtis, ſpectatiſſime Triuulti, ob quæ incredibili lætitia me iuſtiſſimis de cauſis elatum ſentio: tum quòd uniuerſis tibi, tuæque familiæ addictis hominibus perſuaſiſſimum ſit te iſto honore nuper affectum, quo ſine anteà nequiueras ingenuè magnanimitatem exercere tuæ uoluntatis, fore unicuiq; eorum & præſidio, & emolumento: tum quòd cerno iam animo totius Chriſtiani orbis nationes, in ſpem optimam erigi, te ſedaturum ingenio, pruden tia, & ſanctiſſimis conſilijs tantos rerum motus, quibus apoſtolicum genus iactatur. Quapropter maximas, meritasque ipſe Deo gratias agere Chriſtiana debet Res omnis publica qui populo ſuo prope labenti tam neceſſario tempore talem, et præſidem, & Cardinalem præficere uoluit; tibi uerò, Pontifici Maximo denuò, ac ſæpius gratulor. Fore enim confido Saluatoris Optimi primùm ope, & beneficio, tua deinde integritate, & uirtute; ut

amplitudo

amplitudo iſta tua, ſplendor, & gloria cum ſalute maxima, & utilitate Catholicæ religionis coniuncta ſit futura. Quare cum exultandi modum nullo unquàm tempore ſim facturus: gratulationis tamen faciam; ſi duo prius hæc fuero precatus, unum, ut iſta in ſapientiſsimorum Patrum ordinem cooptatio tibi non minus fauſta, felix, fortunataque perpetuò ſit, quam tua uel probitate, uel prudentia illa digna eſt: alterum, ut, me ſic in tuos intimos familiares recipias, meaque ſic opera ſtudio, & labore libenter utaris, ut te nec tantam meam ſpem, mirumque deſiderium fruſtratum eſſe, nec debitum iam uetuſtiſsimæ meæ in te obſeruantiæ locum à nouis hominibus præoccupari mihi interdum mærendum ſit. Vale.

IVLIVS PERVSCVS. N. TRIuultio Sanctę Romanę Eccleſiæ Cardinali.

7

AD eam uoluptatē, qua tuus me ampliſsimus honos nuper affecerat, uberrimus, incredibiliſque acceſsit ex eis literis cumulus; quibus ad meas ipſe cum benignè, tum peramanter reſpondere uoluiſti: quarum quidem lectione cum fuerim ego mirificè delectatus; præſertim quando meum, quod antè feceram de tuis plurimis, maximiſque uirtutibus iudicium, abundè auxerunt; tamen ſcias, tuas iucundiſsimas, ac optatiſsi-

optatiſsi-

optatiſsimas literas illud mihi aſperſiſſe offẽſionis, ac moleſtiæ: quòd nihil planè ſignificarint, eſſe te hoc tempore ad hanc mihi diu expectatiſsimam occaſionem meo ſtudio, aut induſtria uſurum. Quo nomine profectò non modica mihi fuiſſet animi ægritudine laborandum, ni una illa paululum erigerer conſolatione; quòd audio te in præſentia longè maioribus diſtineri occupationibus propter nouam iſtam honoris acceſsionem, gratulantibus ſic tibi undique, & coram, & per literas bonis omnibus; ut ſatis ad id, quod ego uel maximè cupiebã, non potueris animum intendere: atque inde fortaſſe ad declarandam liquidius conſtantiſsimam tuam erga me uoluntatem, id temporis minus commodũ uiſum eſt. quod ſi hac ratione munus debitum tuæ humanitati, uetuſtiſsimæque meæ in te obſeruantiæ fuerit à te prætermiſſum; conuertam nunc me toto pectore ad integram, atque incredibilem lætitiam, qua non alia unquàm ardentior animum meum commouit; eaq́ue inflammatus à te ſummis precibus contendam, ut tu, me uel beneuolentia, uel obſeruantia tantopere erga te affectum exiſtimes, quantum ego nec epiſtola, nec ullo literarum genere poſſem ex animi mei ſententia declarare. Quapropter tantum habeas, Vir ſpectatiſsime, nihil mihi in iſta tuæ dignitatis amplificatione optatius, nihil iucundius accidere poſſe, quam ſi te intelligam ſtudio, induſtria, opera, labore fortu-

niſq́ue

niſque meis omnibus ad tuum arbitrium libenter uſurum. Vale.

IVLIVS PERVSCVS GVIDO
Aſcanio Sfortię Sanctæ Rom.Eccl. Card.

8 QVANTVM *fuerit detractum, Pater ampliſsime, de meis priuatis commodis obitu Iulij III. Pontificis Maximi facilè meminiſſe te arbitror, qui tunc, propter ueſtram affinitatis, & amoris coniunctionem, non ignoraras, qua me familiaritate, quibuſúe officijs commemorandus tanti Pontificis frater implicatum tenebat. Ambo ſanè triſte adeò mihi ſuæ beneuolentiæ, & benignitatis deſideriũ reliquerũt; ut nihil mihi accidere poſſe in uita niſi acerbum putem. Cum igitur tali perfugio mancus, ac debilis, auctus iam ætate, & filijs patriam languentem in tam teterrimas calamitates coniectam, quam alio nuſquam ſæculo uiderem, & totius rei Chriſtianæ publicæ incolumitati prope diffiderem, nihil propterea ſtudioſius, nihil ardentius commentatus ſum, quam aliquò peruenire, ubi paululum quirem, aut animum triſtiſsimis temporibus cedendo, relaxare, aut exiguum reliquæ uitæ tempus in Dei primùm cultu, deinde in ſumma tui obſeruantia collocare: cuius mihi ſingulare patrocinium explorato iudicio, nõ caſu ex uniuerſa præclariſsimorum uirorum claſſe delegi.*

delegi. Huius tui conſilij particeps à me crebrò effectus, inque illo eodem hærens tua multa auctoritate, tuo multo ſtudio hac me ornandum, qua nunc quidem fungor iuriſdictione, piè, egregieque curaſti: in quam, ut me recepi cogitans procul à patriæ tempeſtatibus iuris hic dicendi duntaxat prouinciam ſuſtinere, nihil propius factum eſt, quàm, ut acerbè ab impijs Turcarum, & prædonum manibus captiuus raperer: quorum nos longa obſidione cinctos ſua plane miſeratione præpotens Deus, non debita ſuis iactatis nationibus nauitate humani principes explicarunt; ſicque dies, noctesque aßiduè propter illiuſmodi ſuſpiciones, ac metus cum me ſollicitum habuerũt, tum non mediocri diligentia, ærumnoſisque laboribus adeo defatigatus ſum: ut in hunc uſque diem per incommoda laborarim ægritudine. Non enim mihi aliud planè quicquàm agere licuit, quam omnes gentes, quibus præſum obire, populosque hosce meæ fidei concreditos parum inſtitutos ad arma inſtruere. Quo nomine ita magnus, ita incredibilis acceßit ad meas anguſtias cumulus: ut ſi te mihi ante oculos præceptorem fortitudinis non conſtituiſſem; ſi te miſeras meas conditiones beneficentia tua in uberiorem ſtatum non uindicaturum ſperarem, ſi mearum præterea fundamenta cogitationum in te uno firmißima non ieciſſem, qui princeps ſalutis, & auctor futurus es meæ; ſequerer omnino

eam

eam rerum deſperationem, ad quam me fortunæ acerbitas incitare, quàm & humanitas poſtulare, & ipſa porrò ſapientia uidetur non poſſe recuſare; tantã eſſe in me, licet iã uſu, natura, & ratione edoctο, non ſentio corporis, aut ingenij firmitatẽ, ut nouis poſsim in dies, atq; inopinatis peruerſæ fortunæ telis obſiſtere, quæ me nũquam nõ eludere conata eſt. Itaque ſuſtento enixè caſus meos, atque imbecillitatem animi mei tuarum uirtutum mira fide præſtantiq́ue exemplo: ſed eò enixus, atque audacius ſuſtentabo, quò magis intelligam quotidie, nihil fuiſſe remiſſum de priſtina tua illa benignitate, quam ego iam in meis rebus dudum expertus ſum. In ea etenim ipſa impẽsè acquieſco: illa demum poteſt una his meis optimam facere medicinam languoribus: à quibus profectò ſi reſpirare tua iam inſtituta opera, & pietate in res meas unquam cœpero, enitar omni ui, atque induſtria, ut aliqua ex me non obſcura tuorum meritorum appareat prædicatio. Hæc ſunt, ſpectatiſsime Sfortia, quæ me in præſentia coegerũt nõ retinere epiſtolæ modum, quaq́ue ipſe non dubitaui tecum legitimo tanquam patrono tanta uerborum ieiunitate familiariter percurrere: hæc, inquam, animum meum hactenus, & corpus miſerè moleſtia, doloreq́ue perfractum, ac debilitatum reliquerunt: ſed tamen hoc illud angit me imprimis, & ſollicitat uehemẽtius, tũ quod nullis quiuerim adhuc poſt meum ab Vrbe digreſ-

ſum

ſum literis te ſalutare, quem ſupra mortales omnes colo, & admiror: tum quòd ſplendore tui per mihi grati, atque optati aſpectus iam diu caream: in quorum altero multum poterit me tali defatigationum genere à ſcribendo retardatum excellens tua prudentia adiuuare; in altero diuina tua imago non mediocriter conſolari; quæ oculis animi mei ſemper obſeruatur. ea namque quotidiano ueluti pabulo ſuauiſsimo abundè recreor, & tum abundantius, cum ex nonnullis audio proſperima te perfrui ualetudine; qua nec cõmodius quippiam meis rationibus, nec iucundius mihi, & longe gentium abſenti, & grauiter affecto euenire poteſt.

IVLIVS PERVSCVS BERNARdino Scoto Sabino S. Ro. Eccl. Cardinali.

9

NON ſum auſus tibi antehac ullo literarũ genere obſtrepere, ueritus primũ occupationem, & grauitatẽ tuam; deinde quòd ſatis multos dies perincommoda laboraui ægritudine; poſtremò quòd nihil me ab inani literarum ſermone alienum, uel priuatæ, uel publicæ rei ad ſcribendum ſtimularat. Nunc uerò cum animi aliquãtiſper, & corporis uires collegerim, aliquidque habuerim, quod ſcriberetur opportunum; ſtatui, quando te magna cum fide, ardenti ſtudio, fideliq; obſeruantia colo, & admiror; non tantam ducere

tuarum

ſuarum occupationum, & grauitatis rationem; ut diuturni me aliquando ſuppuderet ſilentij; atque omnem præterea culpam, ſi qua tamen mihi prætermiſsi officij ſuſtinenda eſſet, longiuſculis his literis delere; quæ ſi non medicinam prorſus facient tantis, quæ impendent publicis, & priuatis curandis malis, at certè aliquam à dolore, & moleſtijs aberrationem, meæque optimæ uoluntatis ad te indicium afferent. Dabit autem mihi ſcribendi fiduciam non prudentia ulla mea, ſed Chriſtiana charitas, incredibilis illa, quam nunc oculis cerno, rerum omnium deſperatio, & tua denique mihi perſpecta in Catholicum genus benignitas; quam, ut meis iuſtiſſimis, ac teſtatis uerbis accommodes nunc quæſo, & obteſtor. Ego, Pater Ampliſſime, in hac, quam adhuc ſuſtineo iuriſdicendi prouincia, tametſi adeo negotioſo fungar munere, adeoque meis impari uiribus, propter uel aſperitatem hominum, & locorum, uel incredibiles, quibus premor aſsidue occupationes; ut nulla mihi ſit poteſtas ad commodum aliquid, & arbitrium meum temporis conuertendi; tamen ſcito, nihil in iuriſditione accidere tam moleſtum, nihil tam meis humeris graue, nihil meis ſtudijs, & auribus indignius, nihil planè animo meo tam ſtomacoſum, quàm huius incultam permultorum regni ſacerdotum uitam; ſolutum quidem à quocun-

que non ſolum ſacerdotum munere; ſed Chriſtiano etiam dogmate, atque præſcripto. In his expreſſa inſunt peruerſitatis ſigna, non fucata ſaltem ſpecie aliqua manſuetudinis, aut probitatis, ſed inexpiabilibus inuſta maculis imprudentiæ, ac prauitatis. Hi miſerrimorum hominum laboribus uſquequaque inſidiantur; Hi à Catholica deſciſcunt pietate: horum unaquæque cogitatio, & induſtria in adulterinis mutuis, & in inſolitis quæſtibus uerſatur. In his nullum apparet ſacræ diſciplinæ ueſtigium, nullus diuinarum rerum cultus, nullum animarum ſtudium, ſed præcipites potius tum ad pecunias quacunque ratione cogendas, tum ad libidinem nullo (proh Ieſu bone) ſanguinis, aut coniunctionis ordine retento, liberis non ſecus, ac profani, & mercibus, & mercaturis operam dant. Poteſt ne hoc aliquis hominum, qui non iam perdita opinione, aut obliquo ſenſu contaminatus ſit, æquum arbitrari; ut cum pauci admodum, & nulli propè ſint Antiſtites, Præſides, & cuſtodes eccleſiarum, qui nequaquam ſibi perſuadentes, quanta in Vrbibus quotidie contingant, quæ egeant paſtore, ad ſua ſe libenter conferant epiſcopia, quiq; ſi conferant, uſque adeo in illis non commorentur, dum eorum intelligant præſentia, poſſe inde grandem pecuniam, magna uectigalia, & uberes prouentus exhauriri? non debeant tamen ipſi aut uitam ſibi commiſſi gregis explorare, aut talibus ec

cleſias

cleſias rectoribus concredere, qui ſacris ipſorum nomine tractandis, atque agendis ita præſint; ut eorum doctrina, exemplis, uitæ innocentia turpiter, & praué inſtituti ſacerdotes ad ueram dignoſcendam fidem, ad ſanctos præſtandos mores, & ad populos in recta continendos religione inſtruantur. Cognoui equidem nuper iter faciens eo in ſtatu, eoque interitus diſcrimine ſedere fidem Chriſti ſanctiſſimam propter prauam conſuetudinem, & regendi populos, & creandi potiſſimum ſacerdotes; ut niſi ei tot abiectis cunctationibus aliquo melioris genere ſubſidij à uobis hodie clauum tenentibus occurratur; niſi aliquid noui remedij, efficacisque medicinæ fuerit corrigendis ſacerdotibus adhibitum; nullo poterit hominum conſilio inclinata iam, & propemodum corruens reſp. à peſte ſummi exitij probiberi: Cognoui rurſus omnia iam eſſe in noſtrorum moderatorum, ac ſacerdotum moribus, & uoluntatibus uſque eo inquinata, peruerſa, & conturbata; ut apud nos quodcunque æquitatis, uirtutis, & charitatis genus extinctum; apud uerò barbaras dumtaxat Nationes cunctarum artium, & bonarum rerum domicilium conſtitutum uideatur. Quod ſi ab ijs præſertim, ad quos delectus, & ſumma negotiorum ſedis apoſtolicæ refertur, tanta exercitatione prudentiæ debitum Chriſtianæ fidei munus præſtaretur, quanta ipſi populari pompa, & iactatione publicis

adminiſtrationibus præfici contendunt; ſi ab ijs, qui facilius aſpirare ad Pontificum aures poſſunt, tanta pietate pauperrimorum hominum defenſio, & procuratio ſuſciperetur, quanta cupiditate quæſtus, & lucri pro priuatis commodis blandiri ipſorum Pontificum auribus ſtudent; ſi ab ijs demum, qui nominandi facultatem habent, tanto ſtudio eccleſiaſtici iſti honores mandarentur, & corrupti ſacerdotes moribus ad Dei ſacra exercenda non adiungerentur, quanto ambitu, quantis delicijs ſe ſacerdotiorum dignitatibus ornari auent; non iam urbs Roma in tam graui luctu, & ſqualore iaceret, non falſis interdum tenebris gloria, & ſplendor Apoſtolici principatus offuſcaretur; nec ego longinquus, e proprijsque egreſſus ſedibus, derelictis patria, liberis, coniuge, patronis, amicis, & fortunis omnibus, operam, & induſtriam ad heſternos Principes applicuiſſem; neque planè, quod quidem ipſum maximè omnium ad unumquenque noſtrum ſpectat tam malè quiſque de noſtrorum ſacerdotum moribus ſentiret, inquam tam inſigni inuidia noſtrum nomen apud omnes ferè nationes minimè exiſteret. Sed quid ego hæc (miraberis fortaſſe) tecum ſatius, quàm cum cæteris tuis collegis percurram; quorum eadem hæc non minus interſunt, quamque etiam cum eis, qui me iamdiu in ſuam familiaritatem liberaliſſime receperunt.

ceperunt. Non temerè ſcribo, non ignoro quædam nunc intuens, non nullaq; extimeſcens cui ſcribam. Video qui cum & præſide, & Cardinale mihi agendum ſit; quàm ſapiente, quàm iuſto, quamque etiam uirtutum omnium ſitienti. Sunt alij nimirum in ueſtro Collegio uiri optimis artibus præſtantes, quibus antiquior eſt communis ſalutis, quàm propriæ laudis uia. At tu, qui diurnas, nocturnasq; uigilias, & cogitationes omnes tuas ad ſpem diuini honoris, cœleſtiumq; commodorum ſemper direxiſti; uideris mihi tam tetra tempeſtate uocatus à Deo ad ſuum reparandum nomen, & ſummo Pontificis imperio propè impulſus iſtius onera ſubire Senatorij muneris, probata illi fide, induſtria, æquitate animi, & moderatione tui; non ut temporarias dignitates uoluptatibus, exquiſito corporis, & cubiculorum cultu, beneq; plenis, ac refertis nummarijs thecis, ut plerique ex tuo ordine pendas; non ut hominum oculos fulgore purpuræ, ſed animos religione, ac uitæ continentia permoueas, ſed ut Chriſtianam conſuetudinem in miſerorum, atq; imbecillium gentium patrocinijs tuendis ſerues; & tantum illud inſuper ut ſpectes, quo & Principi Deo, & Dei Vicario ſatisfacias; & nec fidem porrò tuam, nec diligentiam, nec pietatem illam, ad quam quidem præſtandam nos non bonæ uoluntatis dumtaxat, ſed operum, & facultatùm præſidijs muniendos puto, ab ullo ex

Chriſtiano orbe deſiderari patiaris. Tu unus idoneus es, ſi non re tota, neque uniuerſa poteſtate; ſingulari tamen tua uirtute, acie ingenij, electiſsima ſapientia, præclaroque rectè monendi, & oran di conſilio plurimum ad ferendum opis laboranti Reip. Age itaque, uir ſpectatiſsime, confer iſta, quæ tibi à Deo data ſunt ingenij, doctrinæ, ſapientiæ, & gratiæ munera, qua in præſentia polles, cum ad conſeruandam Chriſti religionem, & ad corrigendam publicam diſciplinam, tum ad defen dendum, atq; augendum his ſtudijs ſanctum Apoſtolicum Senatum: ſed mehercule non tam neceſſariâ cogitatione, & opere ſuperſedendum eſt; maturæ conſultationis; & parati animi negocium uidetur. Inſta iam; labora, & perfice; ut per te ſancte culta ſit religio, per te ſic conſeruentur puſilli, & oppreſsi homines: ne ipſi cæcis, & temerarijs potentibus circumueniantur. Incumbe per Deum præpotentem ad religandam ſuis anchoris Petri nauiculam aduerſus uim, & metum impēdentis tempeſtatis. Suſcipe tales cauſas, & huiuſmodi patrocinia, agasque aliquando apud iuſtiſsimos, & humaniſsimos noſtros Principes fortiter, ac benignè cauſam, & partes mei non inhoneſtas longè gentium abſentis. Oſtende id curæ tibi eſſe, quod facis quidem, æquitatem, iuſtitiam, & pacem populorum. In his enim curis, & contentionibus firmiſsima æterni æui, quo beati fruuntur,

ſpes

ſpes nobis repoſita eſt. In hac uera, ſummi Saluatoris imitatione, uniuerſa noſtra nititur ſalus. Hæc cura, & cogitatio te ſuperiorem omni honore, & amplitudine faciet. Quæ nam maior dignitas, uerior amplitudo, ſplendidior uirtus, quàm feruens alienæ ſalutis, & ſuæ religionis procuratio? Ea poteſt, & uiuos inſigni gloria, & mortuos ſempiterna augere beatitudine. Non uideo, quid tanta tua uirtus, quid tanta tuorum ornamentorum præſtantia non queat efficere. Quapropter ſi tibi honos tuus, ſi Reip. ſalus, ſi ſpes tuæ reliquæ in Deo charæ ſunt, ſi denique hoc quoque putas magni ad Pontificis decus, & gloriam intereſſe, quam tuo proprio ſanguine debes ſuſtentare, cum te excelſo ſuo iudicio, liberaliq́ue animo dignum duxerit; non patieris Catholicum Dei genus undique oppugnatum interrumpi hominum inſidijs, & machinationibus: non patieris, & fratrem meum, & Epiſcopum nihil niſi atrox, & ſæuum in me uſque cogitantem, atque etiam loquentem in tam iniqua cauſa, in tam turpi lite, & in foro aſſiduè quæcunque eius uitæ ſpatia conterere: non patieris præterea de tot ſanctiſſimis Pontificis mandatis de hac re ipſa percrebrò datis, & ſeuerè ab eo expreſſis longius, ac nefariè declinari. Fac me dignum tandem, qui tua iam toties præſidia imploraui, ut habeam te, cuius in induſtria, & pietate poſſim acquieſcere. Increpa, corrige tua pruden-

tia, tuaque auctoritate non lentè quidem, aut remiſſè huiuſmodi arrogantiam, & inauditam, atque impiam cupiditatem hominis in fratrem obſequentem, Chriſti & Pontificij nominis ſtudioſiſſimum. Debent omninò tui ſimiles moueri non mediocriter ſtomaco in impios: erga tenues, & uerecundos ita miſericordia: ut eorum ſalutem, ac iniurias, ueſtra ipſi beneuolentia, cuſtodiaque tegatis. Hæc igitur omnia ſi Pontifici Maximo, denunciante me, indicare uolueris; illud tamen etiam, atque etiam te oro; ut quoniam multæ, ac neceſſariæ cauſæ hic me aliquot menſes, dum annuum munus conficiam, morabuntur, quoniamque à meis mihi ſcriptum eſt, fratrem de ſua peruicacia, & feritate non deflectere, eiusque opinionem in deterius ferri; non ſolùm quaſdam meas de his eiſdem rebus literas per tuum aliquem familiarem Carrafæ optimo reddi tuis uerbis intimè commendatas iubeas; ſed in tuis quoque cum Pontifice, & cum eodem Carrafa ſermonibus paulum tum publicæ cauſæ, tum interdum mei memoriam non tenui pietate, ac ſtudio uſurpes. In hoc tuam operam, & gratiam præcipuè aduoco. multam enim laudem à Deo, multam à Pontifice ipſo, qui me iam putat his nefarijs, ac diuturnis explicatum controuerſiis, initurus es: ſed tamen tuo cuncta arbitrio, humanitate, & ſapientia moderabere: qui unus hoc tempore in eo officiorum genere

præter

præter cæteros tuos collegas excellis. *Marathiæ.*

IVLIVS PERVSCVS, GVIDO Aſcanio Sfortiæ S. R. E. Card.

10

PRAECLARVM *ſpecimen tuæ humanitatis cepi ex officijs, quibus me ſuperioribus diebus tuum nomen, ac ſtudium implorantem amplexus es. Hoc facit, ut nec de tuo in me liberali animo dubitare, nec à te per literas multo uerborum ambitu contendere debeam: ut his me optimatibus, atque rectoribus egregiè commendes; præſertim cum ſic animo exiſtas ad homines augendos, & cohoneſtandos incitatus; ut facultas magis, qua poſsis iuuare, quàm aut humanitas, aut uoluntas deſideranda ſit tua. Verùm enimuerò, ſi qua me neceſsitas, ut ad te plura de meis rebus uerba eſſent facienda, ſtimularet, impedit nunc, quò minus id agam, triſtis, & acerbus nuncius, qui ad me nuper de importuna morte Camilli Columnæ allatus eſt: Quem quidem, quamuis omnes arbitrari debemus, cum propter excelſi, atque inuicti animi ſui fortitudinem, & patientiam, tum propter miſerandam corporis imbecillitatẽ, aſperoſq; omnium artium dolores è luctuoſiſsima uita ad lætiſsimã tranſlatum; nequeo tamen illũ nõ dolenter lugere: non tã mehercule, ut præſtantiſſimũ bellica uirtute, ac celebratũ omni illuſtri laude*

uirum

uirum, cuius amplitudo, & ſplendor rerum geſtarum ſtatuit iam ſibi, ac poſteris æterna monumenta; ſed ut acerrimum, atque aſsiduum propugnatorem mearum fortunarum, & ut optimum denique, ac grauem teſtem tum meæ in te perpetuæ obſeruantiæ, tum nonnullius potiſsimum capitis diſcriminis, in quod me non ſum ueritus pro ueſtrum utriuſque ditione, ac ſalute perditis temporibus inferre: ſed ſpero tantam fidem, tamque propenſam in te animi mei uoluntatem fuiſſe iam ita tibi perſpectam, ut alieno minimè conſtringenda ſit teſtimonio. Te illi uita functo, cuius in me pietatem, & beneficentiam aſsiduis lacrymis, & grata commemoratione proſequar, Deus per diu faxit ſuperſtitem uiuere, atque ad eius uitæ fines; regionesque perducat; quas præclariſsima domus tua expetit, & mearum rerum conditio poſcit. Me certè, meamque uitam, & quantulum in me cumq; erit iudicij, ac induſtriæ ſemper in tua poteſtate, ſemper tibi ea omnia addicta, dicataque habebis. Nunc uerò quoniam propè adeſt, ut annuam hanc iuriſdictionem abſoluam, quoniamque hinc literæ nec ſatis facilem, nec ſatis ſecundum curſum tenent, ut ad te de meis rebus tua gratia, & auctoritate pertractandis crebrò ſcribere ualeam; cupio uehementiſsimè in tuo animo multis Reip. procurationibus diſtento non nihil etiam loci uacare, quò ſit meæ uxoris fratri iuueni non minus do-

ctrina,

ctrina, quàm acie ingenij, ac optimis moribus præ dito, tui adeundi, alloquendiq́ue poteſtas interdum: & mihi item longè gentium abſenti receptus, ubi ad tuam fidem confugiendum erit: qua quidem fide, cum me olim in eam benigniſsimè receperis, uideris tu, qui ſummus es Vir, & magnitudine animi præcellens ſeuera tanquam lege aſtringi poſſe. Non ducas igitur alienum uel ea ipſa fide, uel ea eximia humanitate, quæ tuam auget dignitatem, uel admirabili ea ſapientia, qua ſciuiſti unus hoc tempore fortunæ uim apprime uincere, conſiderare primum in quàm difficilem prouinciam, operoſam, in quam etiam longinqua, & rigida loca fuerim proiectus; monere deinde, atque hortari tuarum literarum efficacitate hunc ampliſsimum Cardinalem, ad quem omnia ſunt delata, ut ſi populis, & officio intelligat à me nouiter, atque integrè proſpectum, & conſultum fuiſſe; uelit ipſè tot mea incommoda, tot ærumnas, quibus adhuc præmor, noui mihi decernendi honoris delectu corrigere. Quod quidem ſi ab his tuo rogatu impetrabo: plus mihi à tua liberalitate, accurataque commendatione tributum, quàm ab ipſis, uel meæ nauitati, & labori, uel eorum muneri ſatis fuiſſe factum putabo: ſin autem iuſtiſsimis tuis commendationibus apud tales adminiſtros non erit locus, facilè poteris ex hoc ipſo coniecturam facere; quantum in hoc regno de ſummo Cæſaris imperio, deq́ue priſtina,

& præ-

& præſtanti eius magnificentiſſimi Principis con-ſuetudine declinetur: cuius permagni intereſſe ui-deo ad ſui firmitatem Principatus, ut fideliſſima hominum officia, & ærumnoſi labores honorum, ac beneficiorum compenſationibus mitigẽtur. Vale.

IVLIVS PERVSCVS, POMPEO Zambeccario Epiſcopo Valuenſi S. P. D.

11

Q O N D V M *ſatis conſtitui ioci ne plus, an admirationis tibi huiuſmodi ſint allatu-ræ literæ. Iocari enim te poſſe, in eo fa cilè ſum arbitratus, quòd prudentia ipſe, atq; eru ditione uacans tibi prudentiſſimo, & eruditiſſimo uiro latinis audeam nunc literis obſtrepere: admi rari uerò in altero, quòd nullas ad te tandiù, quem habui uſque in meis intimis mihi propoſitum ſen-ſibus, literas miſerim. Verùm enimuerò ſi tan-tam, tamque inauditam ſuperiorum temporum ma lignitatem nunc memoria repetes, & ruinas item, quibus nos nuper, & Chriſtiana res omnis pu-blica oppreſſa eſt: neque meum non ſcribendi tunc ad unumquenque inſtitutum in aliquam te ad-mirationis cauſam trahere poterit, neque id planè quod libenter inivi de latinis interdum ſcribendis literis conſilium tu improbes neceſſe erit. Nam cum harum ab initio calamitatum, quibus nos*

acer-

acerbiſſimè omnes afflictabamur, cruciatu angerer maximo, & penè incredibili; adeo mihi de mei firmitate iudicij uerendum erat, ut nihil porrò mihi grauiter mœrenti commodius, quid, uel antiquius præſidij aduerſus moleſtiſsimas uexationes præſeferebat: quàm ut nonnullis reiectis, quibus potiſſimum urgebar animi affectibus ad quandam quaſi recordationem bonarum artium, ſtudijque à me diutiſſimè prætermiſſi, & ad libros uolutandos confugerem: quibus cum tantùm adducor hercle inire conſuetudinis, quantùm eo animus legendi, ſcribendique interuallo, tum inteſtinis languoribus paululum erigi, tum aſſidua teterrimorum temporum cogitatione minus diſtineri queat: in quibus tu cum noſtram interea urbem deſieris colere, patrio magis animo in tuum luſtrandum gregem adductus, quàm temporum diſcrimine, aut metu impulſus iuſtiſſimam uideris apud bonos omnes gloriam conſequutus. Hoc igitur nomine (Spectatiſſime Zambeccari) non debes uel meum in hoc literarum genere ſtudium aſpernari, uel mihi demum uitio uertere, quòd à quocunque literarum genere hactenus deſciuerim; præſertim cum tibi conſcius iam eſſe poſsis, nihil à me obliuione, aut ſegnitie, ſed certo iudicio pro temporum conditione commiſſum fuiſſe. Quis etenim magis, ardentiusque illiuſmodi mea conſilia, & inſtituta laudibus deberet proſequi, quàm tu ipſe, in

quem

quem mea fuit ſemper propenſa, & futura eſt perpetua obſeruantia. Quapropter illud tibi perſuadeas uelim, nec has meas ad te literas, uirtutis oſtẽtatione ſcriptas, cum ne uirtutis quidem ueſtigium in me ullum poßit apparere, nec ſummam tuam illam humanitatem, quam ſæpe ego in me expertus ſum, potuiſſe quacunque uel temporum perturbatione, uel literarum intermißione mihi ex animo effluere: meq́ue meum ad te ſcribendi munus non inhoneſtis aliquantulum prætermiſſum conſilijs cumulatè in poſterum ægregieq́ue ſic redditurum: ut nunquam non tui fuiſſe cupidißimum, ac ſtudioſiſſimum poßis iudicare. Præſtantißimæ ac lectißimæ omnium fœminarum Ioannæ Aragonæ de Columna, quam ego non minus propter eius uirtutum inſignia, quàm propter ſingularia dudum in me ſtudia ſummo in honore habeo, mirificeq́ue colo, plurimam quæſo dic meis uerbis ſalutem.

IVLIVS PERVSCVS
N. Epiſcopo Torcellæ.

12

EGO, uir ſpectatißime, multis antehac adductus rationibus Fuluium fratrem uxoris meæ ſemper dilexi, tum beneuolentia, & obſeruantia in me incredibili, tum nauitate in meas res maxima; tum acie ingenij, tum optimis, ac modeſtißimis moribus. Nunc uerò,

ut

ut illum amem uehementius, & colam cauſa mihi ab eo tam efficax tamque ſpecioſa data eſt; ut uidear prope habiturus, in cuius pietate, ac modeſtia poſſit ætas mea acquieſcere. Reliqui iuuenem iſtum decedens ab Vrbe imaginẽ cordis & ſenſum planè mei; ut. ſ. uicem meam rebus tractandis atq; agendis aſſiduè præſit. Is non deſtitit noctu, diuq; labore atq; induſtria cõtendere, ut me domeſticis non nullis difficultatibus expeditum redderet. Nihil denique in meis familiaribus, urbaniſque cauſis auſus ſum expetere, in quò illius mihi, & ingenium, & uoluntas cumulatè non reſponderit. Sed tamen hoc illud fuit imprimis mihi ab iſto rerum omnium gratiſſimum, hoc porrò mecum ipſe præcæteris officijs reputaui præcipuum, ac præſtantius animi, diligentiæ, & amoris erga me ſui indicium; quòd nuper edita nobis in lucem ex me, meaque uxore filiola, ſtuduit idem peramanter augere, ac fulcire meam familiam illuſtris, ac benigniſſimi Antiſtitis patrocinio: cuius in familiaritatem iamdiu propter ſingulares animi eius uirtutes, liberaliſſimamque in omnes uoluntatem, & excellens in Chriſtianam religionem ſtudium, me inſinuare opta ueram. Quaquidem uoluptate pluribus debeo no minibus mirandum in modum exultare: uel quòd præpotens Deus perpetuò, & inenodabili uinculo uoluerit me tenuem hominem cum te tanto, tamq; excelſo uiro ſanctiſſimè coniungi, uel quòd recens

hic

hic partus uiſus fuerit ſecum, te in præſentia fideliſsimo tutore, ac fautore, ornamentum huiuſmodi, & fœlicitatem attuliſſe. Quo circa agam gratias & Deo primùm ipſi, cuius beneficio effectum eſt, ut magna mihi iuuenis ſpes multo antea concitata re in dies, atque uſu comprobetur, & tibi deinde, qui infantulam in primis ſanctis Christo initiandam myſterijs, ex aquaq́ue & ſpiritu ſancto renaturam piè, paterneq́ue ſuſcipere uoluiſti. Vale.

IVLIVS PERVSCVS POMPEO Zambeccario Epiſc. Valuen. S. P. D.

13

AD eam moleſtiam, qua ego nuper tanta ex tuarum literarum, uel breuitate, uel etiam tarditate ſum affectus, uberrimus acceſsit ex eis uerbis cumulus, quibus pupugit me aliquantulum tua oratio; præſertim quando nouum dicendi genus omnino mihi cum noua inſequentis uitæ ratione adæquandum innueris; quaſi quòd ea, in qua olim uerſabar uita, potuerit à te ipſo improbari, qui mei quaſcunque intimas cordis commentationes melius, quàm homines uniuerſi noſſe deberes: Verùm cum meæ ante actæ iam uitæ conditio fuerit ita communis cum multis; ut neque meam unquam ingenuitatem, neq; meum planè pudorem deſtiterim præſtare; tamen ſcias quæſo, me omnes neruos non ſecus in alio uiuendi,

quam in hoc ſcribẽdi ritu contendere;meq; iam ad ſplendidiorem lucem tunc tenebris offuſcatam quibuſdam,& ad rectum Chriſtianum ſenſum eſſe relatum: atq; eò maximè quòd id me ætate adhuc & filiolis ſatis auctum dies ipſa admonuerit. Quapropter, Vir ſpectatiſsime, nè reijcias a te ipſe, neq; aſpernare latinas noſtras literas, inſtitutus apprime ab incunabulis,& ad omnem uitæ integritatem confirmatus. Nullam enim ego poſthac in tuis literis aut breuitatem, aut tarditatem, aut uitæ deniq; reprehenſionem exiſtimabo, ſi tamen exploratũ habere cœpero te meo ſtudio, labore atq; induſtria eſſe uſurum. Vale.

IVLIVS PERVSCVS ALOISIO Cornelio Sanctæ Rom.Eccl.Card.

14

INIQVISSIMA *in primis temporum conditio, qua nunc omnes pariter urgemur,& ad extremum prope agimur interitum, ac difficultas deinde rerum cum domeſticarum, tum etiam communium, quarum alteras anguſto loco adduci, alteras in graue ruere diſcrimen uideo, me ab inſtituto, & officio in te meo pauculos hos menſes deterruit. Statueram enim ex quo me totum tibi addixi, ac tradidi, te quoq; eſſe unum ex ampliſsimorum patrum ordine, qui mihi ob eam uel prudentiam, quam in te ſemper perſpexi non*

mediocrem, uel humanitatem, qua me uberrime a te affectum ſentio aſsidua familiaritate, & obſeruantia, perpetuisq́; obſequijs colēdus eſſes: Verum enimuero ſi ob tantam aut temporum, aut rerum cunctarum anguſtiam nequiuerim mea proſequi, ut optaueram, inſtituta; fueritq́; minus ſatis tua iam inita familiaritas quotidianis a me officijs culta; illud tamen, præclariſsime Corneli, perſuaſiſsimum tibi nunc eſſe cupio, tuam neq; prudentiam, neq; humanitatē illam, qua tuis maxime augetur, atque illuſtratur honos potuiſſe quacunq; uel temporum, uel rerum perturbatione mihi ex animo unquam effluere, meq́; mea erga te munera bonis hactenus intermiſſa conſilijs, ſic in poſterum cumulate redditurum, ut tibi uni ac tuæ humanitati meam fidem, laborem, induſtriam, meaq́; ſtudia penitus addicta eſſe facile cognoſcas. Vale.

IVLII PERVSCI PATRICII ROMANI EPISTOLARVM

Liber Secundus.

IVLIVS PERVSCVS, PIO IIII. PONTIFICI MAXIMO.

15

CESSET nunc (*Beatiſsime Pater*) *cũ Roma præcipue ipſa, tum uniuerſum Chriſtianum genus clamare, uociferari, atq; etiam mœrere, quod tam longa deliberatione in ſummo deligendo Pontifice non modo ſtatus apoſtolicæ religionis, & cauſa Romani pontificatus, ſed fides, ſalusq; Chriſtiani populi maximum in diſcrimen uocetur, quod & tam multis, ac nouis Cardinalium diſſenſionibus, & eorundem plurimorum non obſcuro ad Pontificiam maieſtatem ambitu ingens acceſſerit cumulus ad tot inſignes, totq; monſtruoſas, quibus adhuc premimur hæreſes, quod tanta & diuturna dubitatione ſatis admodum fuerit detractũ de ampliſsimi collegij exiſtimatione, liberamq; ſibi met Cardinales decreando Pōtifice facultatem abſtulerint. Quo nomine cœpe-*

ne cœperunt calumniatores, & turbulenti homines mirandum in modum exultare. Ceſſet iam, & unus quiſq; ex huiuſmodi ordine contendat ſummis precibus a Præpotente Deo non nihil miſericordiæ pro tam inſita opinione, tantoq; errato. Namq; nec eò erant deductæ Catholicæ res, ut celeri, & expedita potius, quàm matura, & elucubrata conſultatione potuiſſet hoc tempore creari optimus, & neceſſarius Pontifex: nec hercle ſic leui affecta eſt uulnere Chriſtiana reſp. ut leui cura leuiq; medicina potuiſſet eam quis ad ualetudinem reuocare. Præclarum quidem fuit dubitare, quem potiſsimum Cardinales è præſtantiſsimo cœtu ſumere deberent: non alienum quoq; Chriſtianis ritibus ac rationibus dies comitiorum longius produci; ut & indagatio fieri exactiſsima de cuiuſlibet uita, moribus, & doctrina poſſet, & accuratius dignoſci, a quo tanta perſona, tantaq; Pontificatus dignitas ſuſtinenda eſſet. Rurſus neq; modicum intererat noſtræ huius iactatæ Reip. per legatos referri ad Principes maximos & defenſores fidei de tãta, tamq; opportuna re conſtituenda maturanda, atq; agenda. Quibus omnibus etiam, atq; etiam perſpectis, recognitis, atque auditis, declaratiſque inſuper, atque remiſſis Chriſtianorum Principum ſententijs, collegerunt ſe ipſos cardinales omnes ad unum, ſtatimque, almo in primis Dei ſpiritu excitante, ſine mora, ſine ambitione ulla, ſine ſuſpicione, uoce una, uno omniũ

aſſenſu, omnibus ſuffragijs, per eximius ille, ſed potius cœleſtis Ioannes Angelus Medices Cardinalis, Maximus, & Romanus Pontifex renuntiatus eſt. Te inquam, Ioannes Angele Patres conſcripti ex tota eorum claſſe indubitatum nobis Chriſti Vicarium in terris adorandum delegerunt; cum nunquam nõ in cauſa Dei, & religionis firmiſsimus extiteris, cum uitam probatam, & conſtantem egregijs factis continuè traduxeris, cumq́ue moribus, doctrina, probitate, acie ingenij uſquequaque infregeris impetum, & conſilia perditorum hominum, cum gratiam, qua plurimum ualuiſti, ingenium, quo admirabili es præditus, opes, quibus egregie floruiſti ad ſubſidium impotentium, ad tutelam uiduarum, & pupillorum, atque ad gratificationem omnium, qui ad tuam opem, auxiliumq́ue confugiſſent nullo non tempore conuerteris, & adhibueris. Tu fuiſti, admirande Medices, hac perluctuoſa ætate diuino tandem aliquando beneficio uel uocatus ad dignam tua uirtute rerum magnarum adminiſtrationem, uel non diſsimiliter iudicatus ſupra cæteros, qui ſunt item in ſacro Collegio peregregij uiri, apprime idoneus ad ſantiſsimã hãc prouinciam gerendam, uniuerſo Cardinalium conuentu plaudente, omnibus fauentibus, nullo reclamante. O quam apte cohæret cum primis alteris tuis nominibus extremum alterum cognomen Pij. Te enim talem, ac tantum rectorem ceu Angelum

ad nos è cælo tranſmiſit Deus; ut admiranda, ſ. tua cura, & ſapientia medearis his tot imminentibus calamitatibus, ut fulcias ſanctam ſedem hæreticorum, atque impiorum ſcriptis, & concionibus labefactatam: integres amplitudinem, & exiſtimationem Collegij paucorum uitio, ac culpa inſignitè offenſam, ut leues denique hominum mentes tot immanibus, & pene immedicabilibus morbis affectas. O inſignem Pontificatus delectum, ò principatum maximæ Chriſtianis difficultatibus accõmodatum. Conſonum utique eſt, & decorum; ut nos Chriſtiani populi, ſimul ac meritas, immortalesque ipſi Deo gratias egerimus, qui clauum ſui imperij a Principe liberaliſsimo teneri, & gubernacula Reip a moderatore iuſtiſsimo tractari uoluit, gratulemur deinde impenſe, atque ex animo, nec tuæ duntaxat ſanctitati, Pater Beatiſsime, quæ ſecura horum mortalium, & terrenorum bonorum, Deum ſolum, & ueram integritatem conſtituis tibi tuorum conſiliorum finem, ſed noſtræ undique uexatæ eccleſiæ & cuncto Chriſtiano nomini iterũ, & ſæpius gratulemur. Ad eum nanque uirum collata eſt modo ſuprema nominandi, & imperandi poteſtas, quem nulla unquam rerum corrumpet cupiditas, cui rebus iam pluribus, & exemplis cognitum eſt ſummo ſtudio eſſe ius idem pauperi tribui, ac diuiti qui tãti ab initio ſui honoris totius uniuerſam orbis terræ ſalutem animo complexus eſt: qui quæ antea in

priuata

priuata fortuna præſtare Reip. non potuit ingenij, doctrinæ, ſapientiæ munera, ea omnia iam, iamque tum ad reponendam in ſua ſede iuſtitiam, tam ad confirmandam pactam iam pacem, & concordiam inter reges ad communem omnium ſecuritatem, tū ad conſeruandum æternæ monumentum ſuæ liberalitatis cumulatiſsime confert. Habes nunc, Pater Sanctiſsime, certam ſpem, qua niti recte poteris non minus ad immortalitatem, quam ad beatiora altera regna. Habes, & certam, & amplam te in maximis humani generis utilitatibus, & com modis facultatem exercendi: quæ una actio rectiſſima profectò ad æternam ſalutem uia eſt. Hanc te inſiſtere, Beatiſsime Pater, deque hac eſſe tuā ſanctitatem minime deflexurā uti nos certe, ac res omnis Chriſtiana publica non dubitamus: ſic illam Deus, cuius uicem in hoc ſacratiſsimo ſedes ſolio, perducat ad eum fœlicitatis cumulum, quo & ſummæ tuæ ſenectutis dies celeberrimos, lætiſsimosque efficere, & afflictis, ac debilitatis Chriſtianis nationibus uel tranquillam, uel tolerabiliorem conditionem ſtatuere poſsis. Vale.

CHRISTIANAE REIP. SENATORI maxime Illuſtri Card. Borromeo, Iulius Peruſcus. 16

ETSI id accidit, quod uniuerſo Chriſtiano gregi maximè fuit in optatis: ut

tantum ei Pontificem, tantum præſidij, tantumq́ue opis attulerit Deus perditis penè temporibus: tamen ita magno completa eſt gaudio languens olim hæc noſtra Roma ex tanta tui honoris amplificatione: ut conſtanti omnium generum, atque ordinum uoce, & conſenſu non minus gratum, & glorioſum Pontificis maximi de tua cohoneſtanda uirtute iudicium, quàm & præclara, & opportuna ſenatoria deliberatio in tam inſigni deligendo Pontifice extiterit, quo nomine tollam primum ſenatores Chriſtianæ Reip. uniuerſos frequenti prædicatione ad cœlum, qui primarium noſtri ſæculi, & uirtute, & ſapientia contenderunt ſummo ſtudio, cunctisq́ue eorum ſuffragijs præſidem nobis totius iam reparandæ religionis ex præſtantiſſimo cœtu deligere: quiq́ue non dubitarunt Chriſti populum euigilato illius conſilio, conſtantiq́ue illius fidei concredere; in quo nihil eximiæ doctrinæ, nihil eximiæ probitatis, & ingenij deſiderauit unquam res Chriſtiana publica: deinde Pontifici optimo tum meo, tum ciuili nomine gratias agam immortales; cum ipſum magnam perſpicientem in omni uel honoris, uel ætatis gradu penuriam nulla ſenectutis defatigatio, nulla acris, & urgens noui principatus cura retardauerit; quin orbam, & affectam ciuitatem, quo ſummopere indigebat auxili, ſubleuaret; quin imminutam, & penè corruentem ſedem apoſtolicam auctoritate maximè illuſtris uiri, &

ſenatoris

Senatoris fortiſſimi ſtudio, ac patrocinio fulciret. Nam ſibi tanti ab initio Pontificatus, nihil plane longius fuit, quàm, ut te amantiſſimum Reip. in ampliſſimum collegium cooptaret: cuius in indole, ac natura unius lucent iam diu egregia illa ſuæ præſtantiſſimæ uirtutis, & morum documenta, quæ nunc in tot ſapientiſſimorum patrum conſilijs, & prudentia pulchre eminebunt; cumq; præterea nobis dederit hac teterrima ætate, qui publicè omnibus, & priuatim futurus ſit emolumento, quemque poſſimus uerè Chriſtianum uirum dicere, atque cardinalem: poſtremo, & tibi, Vir ſpectatiſſime, de tuis ampliſſimis ornamentis, & cuncto Chriſtiano nomini de tanto, tamque opportuno præſidio gratulabor mirandum in modum: ſerius fortaſſe, ut non plurimi, & per literas; quoniam neque ſatis exploratum habueram tam faciles mihi ad te magnum, atque excelſum uirum fore aditus; ut ego, qui nomine propè ipſo tibi ſum ignotus poſſē id tecum commodè, ac prolixè agere, quod & tua in omnes fert libenter humanitas, & mea in te perennis poſcit, ac deſiderat obſeruantia: neque naturæ atque inſtituti unquam fuit mei, ſic ad laudem, & gratulationem accurrere; ut in fortunam magis, quàm in iudicium propenſa uiderentur officia mea, atque eo impenſius, & ex animo gratulor; quod te audio non conniuere in grauiſſimo exitu fortunæ ſuperiorum principum, nec eſſe hodierni Pontificis

diſſimi-

diſsimilẽ, aut animi magnitudine, aut ſtudio, & pietate incredibili in ſingulos ad tuam gratiam, & auctoritatem confugientes. Cuius quidem magnificentiſsimi, ac ſalutaris beneficij perpetua memoria tã ſingulari principi obſtricti non ceſſabimus unà omnes Deum æternis precibus orare; ut & illi principatum maximum, & tibi ſenatorium iſtud munus nõ minus fortunet, quam nos à uobis tantos honores, quibus diuina ueſtra illuſtrantur merita, pro ueſtrum utriuſque dignitate, & expectatione adminiſtrari auemus.

IVLIVS PERVSCVS, N. BORromeo Sanctæ Rom. Eccl. Card.

17

NON *eſt eiuſmodi; Vir Spectatiſsime, aut præſentis tuæ auctoritatis amplitudo; ut omnes tuarum uirtutũ inſignibus addicti homines tibi noti, & familiares queant eſſe; aut naturæ, animiq; tui præſtãtia, ut quempiã, cui emolumento eſſe poſsis reſpuere debeas; aut Chriſtianæ demum religionis ratio, cuius tu ſtudioſiſsimus es; ut pro humilibus etiam hominibus officia, & partes non ſint ſuſcipiendæ. Qua propter minus contendam nunc abs te uel precibus, uel multo uerborum ambitu; ut me iam per aliquem tuum familiarem Vrbis prætori accuratè, intimeque commendes: cui nuper cauſæ Peruſcorũ cognitio a ſummo, &*

mo & ſingulari Pontifice commiſſa eſt. quæ quidē in perfacili cognitione uerſatur; Si tamen paululum de ſua feritate, & peruicatiæ epiſcopus frater deflectat: quem doleo mirandum in modum pro fraterna neceſsitudine, tantam omnibus irridendi ſui facultatem diu dediſſe. Hoc ſi ea mihi ſedulitate, & cura præſtari ſentiam, quæ a te uiro in beneficijs, & gratijs tribuendis animi perquam propenſi, & ab optimo, diligentiſsimoq́ue Principe ſperanda eſt; præter fidem, ac pietatem, quam tu Chriſti populo præcipue debes, tam ingens quoque ex hoc liberalitatis, & patrocinij genere cumulus ad meam incredibilem de tuis præclaris laudibus opinionem accedet; ut quantulum in me cumque fuerit & fortunarum, & ingenij, & induſtriæ, & reliquæ uitæ, id omne, cum ad tantam commemorandam, atque habendam gratiam, tum ad tui ſplēdidiſsimi nominis cultum, atque obſeruantiam mihi relictum putem. Vale.

IVLIVS PERVSCVS, N. BORromeo S.R.Eccl.Cardinali.

18

QVOD *ego tuo rogatu ab optimo, ſummoq́ue Pontifice impetrare cupio maxime Illuſtres Cardinales Vitellius, Gonzaga, & Aragonia nuper ad te detulerunt. Oro igitur te, permagne Vir; ut in eam cauſam, & rem ſic incumbas*

cumbas

cumbas; ut ex tuo ſtudio quàm magnum ſint apud te pondus habituræ tam ſingularium uirorum com mendationes; & celebratiſſima ipſius Pontificis humanitas, ac liberalitas eluceat.

IVLIVS PERVSCVS FRANCIſco Gonzagæ.S.R.Eccl.Card.

19

CVM hoc tempore patrocinij tui apud ſummum Pontificem, ampliſſimumq́ue Borromeum magnopere indigeam; facilè in eam ſpem ueni; ut tu, qui ſumma in beneficiorum copia, & in diuina tua uirtute manſuetudineq́; potes cum omni regum ſpecie, ac dignitate adæquari; mihi ſis illos tua ſingulari commendatione propitios, ac beneficos præſtaturus. Cauſam meam, remq́ue omnem Carolus Zambeccarius teſtis me hercule tui altitudinis animi locupletiſſimus ad te nudius tertius detulit. Oro igitur te, Vir ſumme, atque obteſtor, ut eiuſmodi procurationem, meq́; totum tuo præſertim ſplẽdidiſſimo nomini perquàm addictum tibi tuendum ſuſcipias; tantamq́ue curã & diligentiam in me illis commendandum conferas; ut & tua eximia erga Zambeccarios uoluntas & commendationis auttoritas perſpici poſſit.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS LAINI ORdinis Ieſuiti Generali.

20

VIDES iam, ſpectatiſsime Laines, omniū malorum, exitiorum, calamitatum, quibus per hoſce annos uexata res Chriſtiana publica eſt, fontem, & originem ex praua conſuetudine, & tractandi populos, & creandi potiſſimum ſacerdotes manaſſe. Nam ij, qui nominandi facultatem habent, corruptos quoſque ſacerdotes moribus ad Dei ſacra exercenda adiungunt; & ij præterea, ad quos delectus, & ſumma negociorū ſedis apoſtolicæ refertur, nullo ſtudio, nulla exercitatione prudentiæ, nullaúe pietate ſuſcipiunt tutelas, & procurationes populorum, mandantes talibus prouinciarum adminiſtrationes rectoribus, qui non homines reuocare in meliora ſtudia, non ruſticas gentes, & ſimplices, aut egeſtate, aut inſcitia paratos decipi ab inſidiatorum manibus, & circunſcriptionibus cuſtodire nituntur. Sed omiſſa cura, & diligentia illis conſulendi ad priuatas potius opes, & ad hunc externum ſplendorem labores omnes, & conſilia omnia conuertunt. Vides rurſus, & noſti propter hanc ipſam conſuetudinem, & morem, qui fertur in dies in deterius, orbis terræ populos, & prouincias iam permultas ab iſtius ſanctæ ſedis nomine, ac fide defeciſſe, quas utinam, ne

cæteræ ſequantur, non cogeremur admodum perti mescere, niſi forte adhibeatur maturè aliquid noui remedij, efficacisque medicinæ tum ſeligendis populorum moderatoribus, tum corrigendis potiſſimum, atque creãdis de integro ſacerdotibus. Quod quidem ſi alias unquam nobis, huius maxime tam prudentis, tam uigilantis tempeſtate Pontificis optandum, & ſperandum eſt; Sed ego, qui nonnullos annos ſuſtinui huiuſmodi, quam adhuc ſuſtineo tractandorum populorum, & iudicij exercendi prouinciam, tametſi ſatis multis aliorum generum criminibus premar, ſtudui tamen uſquequaque ab hoc non æque cogitandi de hominibus meæ fidei concreditis delicto, & labe inexpiabili cauere: in qua quidem uoluntate, ingenuaque mente fortiter ſic atque integrè perſiſtam, ut homines facile intelligant, nihil poſſe ad mearum tutelam gentium accedere, præter inſignem illam animarum curam, quæ prorſus ex alieno pendet munere, & arbitrio: ad quam mihi, ut præſtò ſis tu nunc; tuam, & tui, ſimilium operam, atque auctoritatem aduoco, qua ſine quid præſules, & cuſtodes eccleſiarum? quid Principes, & eorum gentium moderatores niti boni queunt in tam præſertim turbato, ac pene exinanito Reip. uniuerſæ ſtatu? qui enim rite tractabimus gubernacula profani imperij, non conſtituta prius ſpirituali maieſtate? Ioannes Baptiſta unus ex noſtra Peruſcorum familia tuo iam diu ſacro iſti

cro iſti ordini perquam addictus & conſecratus diuertens huc obiter ad nos proxime tranſactis menſibus non recuſauit meo impulſu, meoque rogatu aſcendere in cõcionem, inuitareq; ſua pia uehementique orationę omnes ad ueram dignoſcendam fidẽ, ad ueterem omittendã uitam, & ad adeundam repromiſſam æternæ fœlicitatis hæreditatem. Is in ſacrarum literarum expoſitione haud mediocriter ſe peritum præſtitit; in dicendo non minus copioſum, quàm diſertum, in admonendo nec remiſſum, & perquam gratum, ac grauem. Is, quæ a noſtris latinis prodita ſunt, præclarè tenet: Non ignorat cuncta diuorum, & ſapientiſſimorum patrum monumenta: Ad hæc apparuit in eo ita magnum, ita incredibile animarum ſtudium; ut nulla re potuerit leniri tanta moleſtia, quanta fuerant hi ab illo affecti Romam nimis properante, niſi ſpe maxima eis à me oſtentata tuæ prudentiæ, tuæque illius fruendæ Chriſtianæ humanitatis, quam tu eſſe retinendam omni animi impetu ſoles aſſiduè in tuis ſacris concionibus inijcere uniuerſis te audientibus. Qua de re nunc mihi paululum ad te ſcribendi, à teque etiam id petendi oneris fuit delegatum: quod ego pro mei officij munere à me non reijcere, neque aſpernari: & tu pro tui maiorem in modum præſtare debes; ut permittas nimirum hominem frugi, hominem planè ab omni re diuina paratiſſimum reuerti quàm primùm allectum, atque excitatum

horum

horum populorum ſtudia ad Chriſtianas utilitates, atque ad Catholicum amorem: uelisque nunc idem opem ferre tam neceſſario tempore, qui nuper ſpem uideris dediſſe. Itaque non contendam te hortari pluribus ad hoc fungendum munus; ne uerbis uidear uelle augere officium meum: præſertim cum tua ſit maximè omnium propenſa ad Chriſtianam ſalutem uoluntas; ſed tamen facere non poſſum; quin te orem etiam, atque etiam cum ex ſummis horum precibus, tum ex ſuorum Principum uerbis: ut populos Chriſtianam ueritatem appetentes ita omnibus tuis officijs tueare, ita omni charitate amplectaris: ſi tanti Chriſtianos populos facis, quanti & omnes ſperant, & exiſtimant: nec ego dubito, & ſentio: ut nemo ueniat in dubium, te uſum in præſentia eo humanitatis, & prudentiæ genere, quod ex intima arte, intimoque ex animo depromptum ſit. Vale.

IVLIVS PERVSCVS N. Epiſcopo Policaſtri,

21

IOANNES *Franciſcus unus, & fidelis omnium ex tuorum ſacerdotum grege mirificas apud me tibi gratias egit: cum dixerim, omnia te fuiſſe mihi, & liberaliſsimè, & humaniſsimè pollicitum. Hunc ego ſanè hominem nonnullis antea rationibns adductus diligebam:*

nunc

is mihi, ut maiorem in modũ ſit gratus, & charus; ob id maximè efficitur; quod ab eodẽ cauſa mihi eſt data, qua cœperim uel te talẽ uirũ, talemq; præſidẽ cognoſcere, uel illã in te humanitatem, ac liberalitatem experiri, qua ſine homines honoribus minus augentur, quaq́ue uolunt etiam ſummi uiri, & nobiles ſeuera tanquam lege libenter aſtringi. Quorum hoc tu quoque uirtutis genere, & officij par, & ſimilis non poteris ulli iam eſſe ſecundus. Itaque cum initiũ meæ in te obſeruantiæ ab huiuſmodi homine, & à tua libera uoluntate profectũ ſit; te oro, atque obſecro; ut quam nuper apud me de tua liberalitate, & humanitate ſpem magnam uerbis concitaſti, hanc non ſolùm re ipſa, & uſu, ſed maturitate iam, quæ pars beneficij potior eſt, egregie confirmes; quò & me ſacerdoti huic in patriam uindicando, neq; uerboſiorem, quàm par eſt, neque ingratum admodùm præſtare, & tantam animi tui magnitudinem ſummis laudibus ad aſtra palàm ubique locorum extollere poſſim. Vale.

IVLIVS PERVSCVS MARCO Antonio Columnę Archiepiſcopo Tarantino.

22

INCREDIBILE eſt, vir ſpectatiſſime, quã ualdè me afflixerit tuus ſubitus ab

Vrbe diſceſſus, & feſtinatio ad iſtum ſacrum conuentum perueniendi: tum quod ſat periculoſum, & infeſtum iter puluerulenta, & æſtuoſa uia confeceris; tum quod me ipſe, qui iam pluribus certæ, & conſtantis in te meæ, tuosque maiores obſeruantiæ ſignis habere cognitos animi mei ſenſus debes, nolueris negotio aliquo in tua familia dignum ducere: Sed tamen in huiuſmodi moleſtijs non mediocris illa occurrebat cõſolatio, quod te optimum, ac nobiliſsimum medicum in tam magnis, & prope deſperatis Reip. morbis, quibus ea hoc tempore tentatur adhibitum uideam, & id, quod mihi iam diu fuerat in optatis, ut certe operam tibi, & ſtudium meum nauarem, non una duntaxat, neque exigua meæ in te optimæ uoluntatis ſignificatione fuerit declaratum. Hoc igitur nomine, quid mihi tecum nunc per literas agendum ſit, nõ uideo, niſi te magnopere horter pro meo in te perpetuo ſtudio, ueterique in tuam præclariſsimam familiam obſeruantia, ut non ſolum afflicto Chriſtiano gregi, cui omnia ſumma, omnes diurnas, nocturnasque uigilias tuas debes, ſed ualetudini etiam tuæ, ſi omnes tuos ualere uis diligentiſsime ſeruias; utque præterea de mea in te uoluntate ſic iudices, me, ſi meam operam in tuis rebus experiri uolueris, omni labore, induſtria, ingenio, quantulum in me cunque fuerit, ſingularique officio, ac fide rei, famæ, ſaluti, dignitatique tuæ præſtò futurum. Vale.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS MATTEO Priulo Epiſcopo S. P. D.

NON obliuio meæ in te obſeruantiæ, neque inhumanitas quidem ulla me ab eo ſcribendi munere, quo tecum uel abſente, uel mei amantiſſimo agere debui, retardauit: ſed quod eas eſſe curas, & cogitationes tuas in hoc tempore, atque in iſtis locis ſum arbitratus, ut magis tu conſolatione ſuſtentandus, quàm literis interpellandus uidearis: tamen cum in primis cupiam nihil a me unquam fieri quin mea in te officia conſtent, dabo operã in poſterum, ut te, quem mihi unicè ob ſingularem tuam prudentiam, & humanitatem diligendum, atque obſeruandum duxi, non tam iuſta, & idonea excuſatione expleam, quam literarum aſſiduitate conſoler. Vale.

IVLIVS PERVSCVS MARCO Antonio Columnæ Sanctæ R. E. Car.

CVM te ſic tuorum familiarium ſtudioſum, ſic te animo ad homines iuuandos incitatus cognouerim; ut facultas, qua poſſis iuuare, non humanitas, neque uoluntas deſideranda ſit tua; Igitur perſuaſiſſimum mihi eſt, te nec poſſe in mea cauſa obliuionem uenire, nec

eſſe in tuis proximis cum ampliſſimo Borromeo ſermonibus, mei memoriā tenui pietate, ac ſtudio uſurpaturū: ſed quādo nō erit à tua dignitatē, ac beneficentia alienum (Vir præclariſſime) agere de integro de meis rationibus, non lentè quidem, aut remiſſè cum eodem Borromeo, atque etiam cum Vitellio, te oro, atque obſecro; ut quàm primum opportunitas detur, teſtatum apud utriuſque eorum animum relinquas, quicquid officij, beneficij, & honoris in me ipſi contulerint, te id exiſtimaturum eos in te ipſum, atque in rem tuam contuliſſe: ego uero, quæ ab illis tuo rogatu impetrabo, omnia mihi à te tua ſedulitate ſummaque humanitate tributa putabo. Vale.

IVLIVS PERVSCVS PAVLO Odeſcalcō pro Auditore Cameræ Apoſtolicæ Locumtenenti.

25

SCRIPTVM *mihi eſt à meis; te, poſtea quàm ipſe ab Vrbe diſceſſerim, nulla fuiſſe inſolentia, nulla immanitate meorum fratrum, quos unus tam diù mirifica animi æquitate ſuſtineo uexatores ætatis meæ uel ab officio, uel à pietate in mea cauſa deterritum. Quod quidem perſpicio non eſſe alienum à præclaro illo iudicio, quod ſemper feci de tua uirtute, deque optima tua in bonos*

omnes uoluntate, quæ me ad te ſummè obſeruandum iam, atque colendum pridem cohortata eſt. Quapropter maximas in primis Deo gratias debeo, qui à te talem cauſam agier, talemq; controuerſiam diſtrahi uoluit; quæ expeditiſsimum iſtud iudiciū deſiderabat, uiri nempè peraccurati, præſidis integerrimi, & iudicis ueriſsimi. Non obtundam iam te pluribus diſtentum præſertim quotidianis occupationibus. Tantum à te ſummis precibus contendam; ut me tandem dignum ducas, qui id in cauſa mea factum primis meorum literis percipiam, quod & tu optimi iuris propugnator nunquàm non ſoles, & ego nunc hoc munus gerens in alienis cauſis etiam, atque etiam facere ſtudeo. Vale.

IVLII PERVSCI
PATRICII ROMANI
EPISTOLARVM
Liber Tertius.

IVLIVS PERVSCVS, N. BORromeo Sanctæ Rom. Eccl. Card.

26

E*TSI mihi ad te crebro confugienti, crebroq́; a te multis; & claris uiris de me rogãtibus opẽ petenti tua adhuc deſideranda ſunt beneficia, tamen ex Pompeij Columnæ uiri præſtantiſſimi ſermone, atque hortatu, qui mehercule teſtis eſt tuorum ornamentorum locupletiſſimus, non potui mihi non ſummè perſuadere; quin tuum nomen, ac ſtudium de integrò implorans ſim aliquando tantæ humanitatis, tantæq́; liberalitatis, quantam de te ipſe aſſiduè prædicat, præclarum ſpecimen ex eis officijs capturus, quibus me nunc complecti potes; præſertim cum nihil à tuo munere, à tuis præſtantiſſimis moribus, tuaque amplitudine, quæ magno potiſſimum pietatis præſidio firmanda eſt, diſiunctum poſcam: nihilque tam altum, atque magnifi-*

magnificum quod non mea tenuitas ferat, ſuſcipiã; & ijs ipſis præterea de rebus, de quibus te nunc rogo, maximi, & grauißimi etiam homines cum rogare tum rogari ſolent: Sed quando aduentat iam dies creandorum hic magiſtratuum, in quibus non unuſquiſque probandus eſt ex ſuffragijs potius, noſtroq́ue ex perturbato urbano more, quàm uel ex Pontificis imperio, uel tuo ex electißimo iudicio; arbitratus ſum hoc tẽpore nec tibi promptius, ac paratius ad tuam in me exercendam liberalitatem, nec mihi honorificentius quicquam, atque cõmodius ad eam fruendam euenire poſſe; quàm ſi & commendatus à te diligenter ſpectatißimo omnium uiro, cuius permagni ſemper duxi uerborum pondera, & comprobatus tua, tuiq́ue optimi, ac ſanctiſſimi Auunculi auctoritate, & ſentẽtia in illum ordinem hac prima renunciatione legar, quem ueſtræ nobilitatis ſplendor, ueſtri altitudo animi, & meæ maturitas ætatis requirit. Ad hoc ſi te, ſiue Pontificem ipſum non officium, non tanta mea fides, meaq́ue ulla merita, Chriſtiana tamen charitas, difficilis uitæ conditio, in qua uerſor ob grãdem filiorum numerum, & ea demum, quæ à uobis præſtanda eſt mihi Chriſtiano homini ueſtræ probitati concredito, cura, & ſollicitudo debet ſtimulare. Non iam quæro, Vir Summe, per uos me hiſce honorum inſignibus ornari: ſed inclinantem erigi, conſtantißimum in fide erga uos confirmari, nec nõ

domeſticas meas difficultates, quas nullo modo uitare poſſum ueſtris interdum beneficijs, puſillaque illarum opum ſuſtentari, quas uobis ex florenti principatu ad ſubſidium impotentium, ad tutelam miſerorum parandas putaſtis. Hoc ego ab æquiſſimo Pontifice, attentoque Paſtore, hoc à te imagine uirtutis, clementiæ, ac liberalitatis ſuæ peto nunc, & contendo ſummis precibus. In hoc præcipuè tuam mihi operam, gratiam, & auctoritatem aduoco. Vale.

IVLIVS PERVSCVS N. BORromeo Sanctæ Rom.Eccl.Car.

27

QVAM ſit ſui, & ſuorum maiorum ſimilis Archiepiſcopus Columnæ pietate, ſtudioque in omnes, ac animi magnitudine; quàm etiam parem uerbis uitam agat; uel ex hoc facilè intelligi poteſt: Optaram ſuperioribus diebus me auctoritatis, & patrocinij tui apud ſummum Pontificem magnopere indigentem à tali uiro tibi commendari; quoniam diligentiorem, atque ardentiorem eo in te obſeruando, colendoque inueni neminem: qui ſimul ac neque uitandas, neque effugiendas petitiones, meæque uitæ rationem accepit, non recuſauit; quin me ſibi fo-

uendum, ac tuendum ſuſciperet: omniaque mihi de te tuaque liberalitate ita prolixè recepit, & ultrò pro ſua, qua excellit bonitate, propenſaque benè de humano genere merendi uoluntate pollicitus eſt; ut cum ex tuis uerbis tandem collegerit, non id pendere tam tuo, quàm ex Pontificis arbitrio, quod pro me petierat, ac laborarat; meque propterea non eſſe fructum ex ſua commendatione ullum hoc tempore percepturum; uoluerit re, atque uſu comprobari, ſe mihi nihil de tot præſtantiſſimis tuis ornamentis, quæ ipſe aſſiduis in cœlum laudibus effert, fruſtra recepiſſe. Quo nomine tanta is me animi ægritudine, quanta fueram affectus ex iniquo, & ſingulari in me fato, mirifico munere leuauit. Redegeram enim nudius quartus pecunias ex ſuis uenditis frumentis, quæ mihi ad eius domeſticarum rerum uſum erant conuertendæ; ducentos aureos nummos ex ea ſumma detrahi, mihique uniuerſos remitti, & dono dari iuſſit. Quod quidem in me liberalitatis genus incredibile, ac propè diuinum; ut non poſſum non ſuſpicere, non uehementer admirari; ſic neque de illo non ſæpè, non palàm cum memorare; præſertim cum qui uix parare ea, quæ ſibi ipſi ad cultum, & uictum ſuppeditent, qui uix nunc exire alieno ære poteſt, quod nō libidine, nō delicijs, nō ſuperuacaneis apparatibus: ſed religiōis reiq; Chriſtianæ publicæ reparādæ ſtudio

contraxit; is propulſare ab induſtrijs, & laborantibus hominibus calamitatem; ſuſtentare is ex ſuis anguſtijs tenuitatem illorum ſtudeat, & contendat. Præclarum quippe uirtutis ſpecimen, certiſſima ſunt hæc Chriſtianæ probitatis argumenta, nec non ſolida, atque inſignia perpetuæ in te tanti uiri obſeruantiæ, ac beneuolentiæ indicia: qui quaſi æmulus, & comprobator laudum tuarum adductos in ſpem, & expectationem tui præſidij non deſerat, labentes, opemq́ue petentes excipiat corruere non ſinat. Hæc cura, & cogitatio, Pater Ampliſſime, facit principes uiros omni honore, & amplitudine ſuperiores: is ſummus eſt Chriſtiani nominis ſplendor, ſumma eſt dignitas, ueraq́ue amplitudo, quæ alienæ ſalutis procurationem ſequitur: non ea, quæ ab hominibus noſtri ſeculi uoluptatibus, exquiſito corporis, & cubiculorum culto, in primiſq́ue bene plenis, ac refertis nummarijs thecis penditur: nõ quæ oculos fulgore purpuræ permouet. ſed quid nunc hæc ad te, miraberis: Non eo ſpectat mea oratio; ut uel aliundè petenda tibi eſſe uirtutis exẽpla, cui domi præclara, atque illuſtriora propoſita ſunt, uel te meijpſius charitate ad tuam in me exercendam humanitatem, & liberalitatem putem ſtimulandum, atque excitandum. Non enim me latet eum te eſſe, qui ſubieris iſtius onera Senatorij muneris, probata ſanctiſſimo tuo auunculo grauitate, induſtria, uitæ innocentia, æquitate animi,

& mode-

& moderatione tui; ut diurnas, nocturnasque uigilias, & labores tuos omnes ad ſpem diuini honoris, cœleſtiumque commodorum dirigas; ut nec fides porro tua, nec diligentia, nec pietas illa, quæ non in uerbis ſolum, ſed in factis multò magis, & operibus requiritur, ab ullo deſideranda ſit: Sed quando ſic habeo perſuaſum, te ſtudioſum ualdè actionum illius, & contentionum, illumque præterea in tuo ære iam eſſe; arbitratus ſum non poſſe tibi iucundiorem nuntium deferri; quàm, ut facta hominis tibi perquàm addicti tuis optatis reſpondeant. Itaque hoc mihi ſumpſi primum; ut certiorem facerem te de ſingulari uirtute, deque optima eius in Chriſtianum genus uoluntate; deinde, ut tibi gratuler ex animo, qui tantam tuæ clariſsimæ familiæ acceſsionem feceris, & gratias, quas poſſum non agerem ſolùm, ſed referrem; cum cauſam illi tam opportuni in me beneficij dederis. Relatas nãque, ac redditas à mea tenuitate tu, qui uir es ſummus, & magnitudine animi præcellens, exiſtimabis; cum intelligas neq; iniectam mihi de tua humanitate ſpem, extenuatam', neque me ulla re eſſe deterritum; quin te patronum unum, atque interceſſorem apud benigniſsimum Pontificem adoptem, te appellem, tuum auxilium iterum, ac ſæpius implorem. Vale.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS PAVLO Spinello Suo. S. P. D.

28

SVPERIORIBVS *diebus cũ* διαῤῥοίᾳ *laboraſſem, plures ad uos miſi literas, atque ad te potiſſimum, qui me latinis uerbis per literas ſalutaueris: Verum cum nullas iam à uobis tam diu acceperim, in illam opinionem facilè coniectura ducebar, neq; meas ad uos admodũ crebras, neq; ueſtras ad me fortaſſe raras fuiſſe fideliter perlatas. Quod cuiuſmodi ſit in aliud tempus differã. Id tantum ego optime curabo; ut omnis mea in ſcribendo diligentia, atq; induſtria. quoad licuerit, uel per locorũ interualla, uel per tabellarios uel per moleſtiſſimos, atque ærumnoſos, quibus hic præmor labores, cumulate in poſterum præſtetur. Tibi interea ſic perſuadeas uelim, me nũquàm fuiſſe tam agreſti erga uos, immaniq́ue animo, inq́ue meam præcipue Hortenſiam, cuius perſæpe deſiderio æſtuo; ut quempiam ad uos aduentantem prætermiſerim, cui literas non dederim; nec potuiſſe præterea maius mihi in præſentia, ſcribendi ocium comparare; præſertim cum iam alteris meis tuæ ſatis putem illi epiſtolæ factum, in qua non ſolùm ſingulare quoddam erga me beneuolentiæ ſtudium, ac periucundum fidelitatis tuæ indicium erga res noſtras tibi concreditas; ſed te etiam incredibili quaſi cupidi-*

ſi cupidi-

ſi cupiditate ardere perſpexeram; ut ad eos liberalium artium curſus animum intendas, ad quos, quando ex ipſis uberiorem fructum, inſigniorem'q; laudem, quàm ex medica tua facultate adipiſceris, tantopere ſemper, ac peramāter hortatus ſum. Perge itaq;, mi Paule, & enitere; ut ſpes mea de tua fide, deque hac illuſtriori uirtute in dies fiat erectior; utque magnum ex tua opera, & obſequio mihi abſenti, ac patri tuo languenti commodum, atque ornamentum accedat. Ego, quando ſic faueo tibi, ut Mario meo, quem ipſe habeas commendatū oro, quando ſic in tuis laudibus acquieſco, ut illis me quoque exiſtimem ornari, te hortabor denuo, & ſæpius admonebo, ut tantam opportunitatem, in qua es, inſtare, ac urgere iterum, atque iterū, non deſiſtas. Vale.

IVLIVS PERVSCVS, ANGELO Laſcaro. S. P. D.

29

VIGINTI *iam ſunt anni, cum amicitia, & conſuetudo inter nos intercedit; quorum ſuperiores propè octo aſsidua fuimus beneuolentia, & familiaritate unà coniuncti, reliquos uerò duodecim poſtremos, neſcio ſi uel temporum uarietate, uel fato fortaſſe in me iniquo nullis fuerit à te amicitia ipſa aut beneuolentiæ, aut amoris officijs culta, ſed quorumcunque potius*

amici-

amicitiæ iurium obliuione uiſus es tu amicitiam exercuiſſe, quē, ut ſcis, habui mihi totū in medullis hærentem. Quod quantum impertierit mihi uacuo quidem ab huiuſmodi culpa, doloris, & mœſtitiæ Deus apprimè nouerit, qui animorum eſt inſpector. Nunc uerò dum illam in opinionem facilè inducebar, te iam ab illiuſmodi errato ad priſtinam noſtram coniunctionem fuiſſe reuocatū: te inquàm, uideo deterioribus amicitiam ducere conditionibus. me enim tam diu hic in anguſtijs uerſatum, moleſtiſsimisque aſsiduè huiuſce iuriſditionis occupationibus diſtentum, longo iam metu; longaq; Turcarum obſidione circumuentum, & corpore prætereà non ſatis commode ualentem nullo tuorū uerborum nuncio adhuc ſalutaſti, nullis tuis conſolari literis, nullo benignitatis, aut miſerationis genere proſequi abſentem conatus es. Quapropter, ò Laſcare, ſi cogitare in me humanius, atque amabilius, quàm ſuperioribus temporibus uolueris; ſi me dignum tua olim inſtituta amicitia, ſi me quandoque amicorum miſericordia, ſi deponendam denique tibi hanc in me animi aſperitatem æquum eſſe duxeris, ſuſcipe quæſo hoc tantulum in te oneris, ut ego, qui te antea, ſupra amicos omnes amaui ſemper, & colui, neque tui, neque tuarum literarum deſiderio tam miſere, tam diu ardeam. Vale.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS MARCO Cornelio S. P. D.

30

TAM eſt inſignis, & ſpectata Cardinalis tui ampliſsimi uirtus, tam excellens eius erga ſuos familiares ſtudium, ut homines non minus in eorum, qui ſecum propinquitatis, & affinitatis uinculo ſunt coniuncti, quàm in ſui ipſius amorem impulerit: tam magnum denique is obſeruantiæ onus mihi impoſuit, cum me ſua gratia, ſuoq́ue patrocinio fouendum, ac tuendum ſuſceperit, ut nulla magis fortunæ contumelia fuiſſe me oppreſſum ſentiam, quàm quod flagrans cupiditate incredibili, ut uitam, ac fortunas meas omnes pro eius ſplendidiſsimo nomine effundam, huius tarditatem occaſionis etiam nunc expectem. Quapropter non debes, Marce ornatiſsime, ullam in admirationem adduci, ſi te nunc orem, atque obſecrem, ut me quoque unum poſt hac in tuorum domeſticorum numerum aſcribas, inq́ue tuam familiaritatem recipias: cupientem quidem illam quotidianis officijs colere: Quod cum feceris, neque deflectes ipſe de tanta humanitate Cardinalis, deq́; eius contentione, & cōſilijs, non deſiſtam ego illud te in præſentia pro mea fide, meaque ueteri in ueſtram familiam obſeruantia per literas monere; ad quod tamen ſatis per te incitatus, atque idoneus

uideris;

uideris; ut te adoleſcentem iam magnæ indolis, optimæ ſpei, tantæ eruditionis, tantæq; eloquentiæ, quantam ſemper ſum arbitratus potuiſſe ex clariſſima illius officina exire, cuius te in diſciplinam parens tuus prudentiſſimus credidit, & commendauit, dignum cum Cardinalis hominis propè diuini tum noſtro ſingulorum de te iudicio, atque expectatione præſtes; uelisque tandem pro tui generis, animique præſtantia, eò morum, & doctrinæ conniti, quò pauci, aut nemo potius nondum peruenire, ſed nec aſpirare quidem potuere. Vale.

IVLIVS PERVSCVS GVIDO
Aſcanio Sfortiæ Sanctæ Ro. Eccl. Car.

31

NON *ſum ueritus mittere ad te huiuſmodi pauculos fructus mei uenatus nuper in hac, qua nunc fungor iuriſditione captos: Namque uiri præcellentes magnitudine animi tui ſimiles, qua eſſe in ſuis augendis, atque ornandis hominibus humanitate, & liberalitate contendunt, eandem etiam ſolent in accipiendis eorũ munuſculis egregiè, atque hilarè præſtare: Quod quando ego à te in præſentia magis ſpero, quàm opto, illud tantum Te orare non deſiſtam ſummis precibus, ut mei abſentis, meæque in te tantæ fidei, perpetuæque obſeruantiæ memoriam ſerues. Vale.*

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS RAINVtio Farneſio Sanctæ Romanæ Eccl. Car.

32

MAXIME angerer, & ſollicitus eſſem (Pater amplißime) quod ex eo tempore, quo me ad Vrbem recepi ex iuriſditione, qua nuper fungebar, nihil adhuc eorum à me officiorum in te profectum ſit, quæ tibi, & tuæ uirtutis inſignibus debentur; niſi & tua ſumma prudentia admonerer, te minimè omnium ignorare, quàm parum ſibi temporis attentus quiſque pater familias poßit ad officiorum cultum comparare, & mei animi conſcientia ſuſtentarer, cum neque obliuio noſtræ in te ueteris obſeruantiæ, neque inhumanitas, aut negligentia quidem ulla tardauerit animum meum. Quam ob rem non uideo, quid ipſe nunc debeam explere officium meum ullo, aut uerborum ambitu, aut excuſationis genere; præſertim quando, & mihi cum optimo, ac benigno Principe, & tibi cum homine potißimum eo agendum eſt, qui uel tuam, uel tuæ totius præclarißimæ familiæ gloriam, ac decus mente, & cogitatione aßidua complectitur. Tantum igitur à te peto, quod mihi pro tua omnium ſermone celebratißima humanitate petendum eſt; ut quam perſæpe

immitaris maximorum principum conſuetudinem in tuis ornandis, atque augendis familiaribus, quibus ampla datur facultas te aßiduitate officiorum proſequendi; eandem uelis in amplexandis, ac fouendis ijs retinere, qui aßidua etiam, & incredibili ardent cupiditate, ut pro te, tuoq́ue ſplendidißimo nomine uitam ſimul cum fortunis omnibus effundant: ducasq́ue nullum eſſe officium, nullumq́ue tam ſingulare ſtudium, quod poßit cũ hoc tui percupido, atque obſeruantißimo animo meo conferri. Non enim Deus ipſe, unde tu ſoles tuorum factorum petere exempla, magis grata, magisúe decora hoſtia, quàm paratis, & flagrantibus animis placatur. Vale.

IVLIVS PERVSCVS SEBASTIANO Vantio Pro Auditore Cameræ.

33

S*VPERIORIBVS temporibus, cũ tibi rei iudiciariæ facultas data eſſet, tuam ego, & meæ uxoris fratres omnibus in rebus noſtris, quæ tua gratia, & auctoritate eguerunt, beneuolentiam erga nos, & humanitatem egregiè experti ſumus: nullum enim à nobis ex tuo illo munere, quod eo tempore ſuſtinebas, paſſus es, iuſtißimi, ac beneuolentißimi hominis officium deſiderari: ſed tamen hoc recente merito, & ſtudio, quo tibi Sertorium in perpetuum deuinxiſti, dando*

ſtij, dando de eo apud ampliſsimum Cardinalem Peruſinum præclarum tui iudicij teſtimonium, ita nos unà omnes ad incredibilem tui colendi, & obſeruandi cupiditatem excitaſti, ut nihil tam nobis enitendum omnibus noſtris facultatibus in poſterum arbitremur; quàm ne te huius de illo iudicij, & tuæ erga nos amicæ uoluntatis unquàm pœniteat. Curaſti ſanè probè, & peramanter; ut huiuſmodi iuuenis opera, fides, & eruditio poſsit pulchrè e lucere in cauſis, & negotijs tam eximij uiri, & Cardinalis, qui ad amplexandas uirtutes uiſus eſt nullo non tempore, à natura apprimè conſtitutus, quemque ego iam diù uel propter ſingularem eius prudentiam, animique præſtantiam, uel propter commemorandum ſui patrui nomen, qui me tunc aſsidua familiaritate implicatum tenebat, colo, & obſeruo. Perge igitur, humaniſsime Vanti, fauere ingenio, fauere induſtriæ iuuenis gratiſsimi, non indiſerti, & porrò expleturi omnem deſiderij noſtri expectationem. Suſcipe curam minimè alienam tua uirtute, tuaque probitate. ijs namq; ſtudijs, in quibus Chriſtianis uiris admodum elaborandum eſt, dignum laborum præmium, uitam immortalem conſequeris. Vale.

IVLIVS PERVSCVS, IACOBO Deimio Hangienſi.

34

TERTIVM *iam diem tuas nõnullas accepi literas, quas quidem non ſine magna cura, non ſine mediocri mærore perlegi; cum mihi argumenti non nihil dederint, ut ad te pro mei officij munere literas eodem ipſo, quo tu ad me ſermone, ſcriptas mitterem; cumq́ue illud quoque ducas futurum de noſtro Creſcientiano negocio, quod de Caietano. Sed amabò te (mi Iacobe) quid ego rebus ijs omnibus, quæ uel ad prudentiam, uel ad eruditionem ſpectant, orbus plane, & urbanis aßiduè diſtentus occupationibus de beo tibi longe multorum hominum uirtute, & ingenio præſtantiβimo latinis uerbis obſtrepere? ſatis equidem tuis elegantiβimis literis reſpondebo, cum limatulas, atque elaboratas tuæ orationis ſententias, cum floſculos, & concinnitatem tuorum uerborum, cum accuratum denique, ac diſertum dicendi genus, tuiq́ue ingenij lumina ualdè, & ſæpe carpam, atque delibam. Quid porrò mærere? non ne amico uidebor officium, & pietatẽ præſtitiβe; ſi ullam hactenus temporis partem non deſtiterim contendere omni mea cura, induſtria, cogitatione, ſtudio*

ne, ſtudio; ut eas, quibus nunc uideris affectus, & afflictus difficultates, ſubleuarem. Itaque ſiue perdoctæ tuæ epiſtolæ uberioribus literis, ac luculento ſermone minus adhuc reſponderim, ſiue deſiderio; quo ipſe ardes, nequiuerim ſatis ex utriuſque noſtrorum ſententia facere; quæſo nè me inertiæ, nè me lentæ uoluntatis crimine accerſas; ſed id omne potiſſimum cum inſcitiæ planè ſcribendi meæ, craſſæque mineruæ, tum horum temporum iniquitati, attribuas. Vale, & tuum interea nomen, atque doctrinam non deſiſtam apud noſtros homines, cum facultas dabitur meo teſtimonio, meoq́ue iudicio, quantulumcunque ſit, comprobare. Vale.

IVLIVS PERVSCVS MARCELlo Pallono. S. P. D.

35

CVM fructum noſtræ neceſſitudinis, qui ex uſu & communicatione ſermonum inter nos percipi uberrimus ſolet, animo, & memoria perſequor; ita magnum mihi tui relictum deſiderium ſentio, ut quando à cogitatione, & dolore me nequeam auocare, tantulum huic temporis epiſtolæ non habuerim, quo tu a me cumulatius, ac ſigillatim, ut optaram, de tanta mearum literarum tarditate, deq́ue

meo ſtatu certior fieres. Itaque tantum illud nunc habeto, me hic fungi ſat honorifico, & illuſtri munere; adeo tamen negocioſo, adeoque meis impari uiribus, ut propter uel moleſtos, ac ærumnoſos, quibus premor aſsiduè in iuriſditione labores, uel longam Turcharum obſidionem, qua nondum liberati uidemur, noctes plures, ac dies perincommodè ualuerim. Qua de re, mi Pallone, ſi me poſt hac aut pleniorem, atque uberiorem ad ſcribendum, aut animo, & corpore ualentiorem uolueris eſſe; fac imprimis nullum prætermittas mei abſentis iuuandi, & leuandi locum: fac deinde intelligam eadem futurum te erga meas res domeſticas, & uoluntate, & beneuolentia, qua ſemper fuiſti: quàm quidem, ſi alia unquã in re, in hac ipſa maximè flagito; ut mihi de noſtris rebus urbanis aliquid tuis literis ſignifices. In quo quàm gratum mihi ſis facturus tum abſenti, tum ſolicito non conabor tibi exponere; cum tu id per te ſatis cognoſcas. Vale, & ampliſsimo Bellayo, quàm primum tibi facultas dabitur, multam à me ſalutem dicas oro & obſecro.

IVLIVS PERVSCVS IVLIO Herculano. S. P. D.

36

NON *eſt, (mi Herculane) huius oneris, quo nunc premor, ſingulas cauſas mearum literarum cum tarditatis, tum bre-*

uitatis

nitatis ad ſingulos amicos per ſingulas literas deferre. Nam neque munus, quo fungor tam negocioſum, neque horum locorum interualla id ferunt, neque mihi, tametſi amicorum cupidiſſimo licuit adhuc per impiam Turcharum claſſem animum ad literas ſcribendas applicare; cum ipſi ad nocendum populis hiſce meis præſentes uires etiã nunc habere uideantur. Qua de re ſi pluribus amicos in præſentia uerbis non expleam, quæſo unà omnes, atque enixius obſecro, ut meam ipſi uicem in hac re ſuſtinentes, ad oblatam iam rationem ſe referant. Vale.

IVLIVS PERVSCVS IOANNI Antonio Clario.

37

NON *obliuione amicitiæ noſtræ, quàm mihi perpetuò ſeruandam propoſui, ſerius ad te do literas, ac Romæ fueram pollicitus; ſed cùm tam moleſtiſſimo, ac negocioſo fungar munere, meiſque longè diſpari humeris; ut ex aliorum uoluntate meæ uniuerſæ pendeant planè actiones; nequeo mihi aliquam partem temporis ad meorum amiciſſimorum commodum, & conſolationem comparare; nec id quidem propter arduam dumtaxat, quam ſuſtineo iuris reddendi prouinciam; ſed quòd labore admodum corporis, diligentiaque incredibili aſſiduè contendo; ut hos meæ curæ, & fidei commiſſos popu-*

los ab impijs Turcharum manibus aliquando ex peditos reddam. Quare (mi Clari) faciat quæſo meæ tarditati medicinam tua prudentia, tuus amor, tuaque optima uoluntas. Vale, meq; ſcias in deſiderio eſſe aliquid iam audien di, & de te, & de rebus urbanis & de Herculano, ac de Pallono in primis, & de Cæſareo noſtro: cui quando ad tam celebra tum uirum aſpirare meæ non audent literæ, plurimam dic meo nomine ex his ipſis literis ſalutem.

IVLII PERVSCI PATRICII ROMANI EPISTOLARVM

Liber Quartus.

IVLIVS PERVSCVS RAINVtio Farneſio Sanctæ Rom. Eccl. Card.

38

NON *fert (Pater Ampliſsime) aut præmiſſa tibi noſtrarum diſtrahendarum controuerſiarum poteſtas, & auctoritas, aut perpetua tua in hominibus tuendis conſuetudo, tuáque magna exiſtimatio: ut mihi iam amplius per te domeſtica, & inteſtina crudelitate ſit laborandum, præſertim cum ego, ſi ulli ex tot ſapientiſsimis tuis collegis cauſa mea commiſſa foret, ad te potiſsimum, qui de omnibus gentibus optimè mereris, confugiſſem; ut eum mihi per quàm propitium redderes. Itaque non poſſum non de integro tuam fidem, & conſcientiam implorare; in qua una acquieſco, non te uehementer rogare; ut iam de meis miſeris rationibus decernendum cures: uelisque tam mihi, immò potius mihi præſtare pie-*

tatem, meiſque liberis, quibus nihil eſt egentius, quàm meorum cuiuis fratrum; quos nullæ horum lacrymæ, nulla adhuc obſequia, aut officia: nulla demum miſericordia potuit mouere. Certè negocioſam, & moleſtam prouinciam ſuſcepiſti; dignam tamen tua humanitate, dignam Chriſtiano ſtudio: porrò neq; diſiunctum negocium à ueſtro Senatorio munere Põtifex Maximus tibi detulit. Vale.

IVLIVS PERVSCVS HOSTIlio Hectorco S. P. D.

39

AD eas literas, quas ego ex tuo mandato proximè miſi diligentiſsimè ſcriptas ad Taliacozzi Prætorem, permultæ etiam pro eo nec uulgares quidem additæ ſunt commendationes meæ, tum apud nonnullos intimos Marci Antonij Columnæ familiares, qui itidem in eius eiſdem locis funguntur diuerſis iuriſditionibus, tum apud præſtantiſsimam mulierem Orintiam Pompeij Columnæ uxorem; quæ cum iter factura Taliacozzio ad alia loca, uoluerit hic ſub meis pauculis tectis familiariter recipi; nõ recuſauit ſuſcipere ex meis multis precibus huiuſmodi propugnationem rei; quæ quidem ſtudia, & officia mea poſſunt ſpẽ tibi afferre tui Angeli recuperandæ ſalutis; præſertim cum nihil tam inſignè appareat noſtris temporibus, quàm clementia, & liberalitas ipſius Marci Antonij.*

ci Antonij. Vale mi Hoſtili, teque oro, ut nuſquam ceſſes maximam mihi tuarum rerum fidem habere. Vale.

IVLIVS PERVSCVS HOSTIlio Hectoreo S. P. D.

40

SI eam inter nos arbitraris conſtitutam iam eſſe amicitiæ neceßitudinem, quam & uetuſtus noſter amor poſtulat, & ardens mea tuorum ſtudiorum cupiditas meretur; æquum ducas non ſolùm illam ſancta, & mutua eſſe à nobis uoluntate tuendam; ſed utrumque noſtrum debere alterius ope, & conſilio in his, quæ uſus affert quotidianus, ita uti, ut eiuſdem amicitiæ officia non uerbis tantum, ſed factis etiam, ac rebus ipſis uſurpemus. Cum igitur proximè tranſactis menſibus facturus eßē huc ab Vrbe digreſſum magnis itineribus: nihil à te maiore ſtudio, ardentioreque animo contendi, quàm, ut debita Chriſto, amicitiæque charitate, ac fide meum amplecti conareris filiolum: tuoque illum amori, & uirtuti concreditum labi admodum in puerilibus non ſineres; nec non optimis moribus, diſciplinaque, & eruditione, qua tu multis bonarum artium profeſſoribus facilè præſtas, apprimè inſtituendum curares. Id mihi te non prætermiſſurum pro tua ſumma humanitate etiam atque etiam recepiſti, literaſque

raſque

raſq; interdũ hac de re miſſurũ non recuſaſti. Horũ alterum ſi quidem adhuc acciderit, neſcio, alterum minus accidiſſe ſcio; cũ nullas porrò à te literas de re ulla habuerim, quæ me aut certiorem facerent, te iam in pio huiuſmodi officio eſſe, aut in ſpem non nullam præcipuè adducerent, tuam iam diù à me exoptatam nauitatem, in qua multa ſpes, multa mei abſentis innititur fides, non defuturam puerulo. Quo circa ſi ſenſeris potuiſſe hactenus mihi à te uel amici, uel Chriſtiani hominis munus præſtari; fac me obſecro non eſſe in tam longo huius tuæ percipiendæ uoluntatis deſiderio; nec patiare illam ad me conſolationem ex aliorũ literis peruenire, quam ego longè maiorem ex tuis mihi periucundis capere poſſum. Vale.

IVLIVS PERVSCVS NICOLAO, Ioanni Paulo, & Octauio ſuis fratribus.

41

M*VLTA me nunc ad uos cupientem exarare hæc ipſa planè cum impediunt, tum dehortantur: Primùm impedit me non mediocris laßitudo, qua ita quidem laboro propter ardentißimas pluuias, quæ me aliquantulum fregerunt, & itinera deuia, quibus nos profecti ſumus Neapolim in profunda nocte; ut neque mens, neque corpus, neque calamus ipſe ſatis eſſe in officio queat: deinde illud quoque dehortatur me*

potißi-

potiſſimum, quòd cum ipſe huc peruenerim duodecimo Cal. Decemb. tertia, & uigeſima eius diei hora, nullum mihi ad uos tam pauculo tempore potuit de noua ciuitate ſcribendi argumentum ſuppeditare; atque eo maximè, quòd id temporis totum, quo uti ad arbitrium meum potui, nec in his reddendis literis, quas mecum attuleram, nec in his ſalutandis magnatibus mihi ſatis fuit. Qua propter non debetis ullam in admirationem adduci; ſi nunc breui ad uos ſcribam; quibus, & ſi meas quaſcunque res commendatiſſimas eſſe ſciam; nequeo tamen eò uſque calamum ſuſtinere; quin uobis omnibus ego iam amori indulgens noſtros puerulos, & ſuauiſſimam Hortenſiam unicè commendem; quorum aſpectu cum caream in præſentia, & pungit me ſummoperè, & doleo mirificè. In his, quæſo uos fratres atq; obſecro nitamini omni cura, omni fraterna fide, & charitate; ut æſtuãs tãdẽ omniũ ueſtrũ deſiderio, poſſim ueſtris erga illos ſtudijs, & officijs lætari. Valete fratres, & à me ſalutẽ noſtris omnibus reddite.

IVLIVS PERVSCVS QVIBVSdam ſuis affinibus. S. P. D.

42

ECQVANDO *me putaſtis uel abſentem uel præſentem ſine ueſtra opera, & ſine ueſtris literis, mea*

ris, mea primùm ſpe Deo dicata, meaq́ue deinde Hortenſia ualente, non potuiſſe uiuere? O miſeri, qui cum ueſtras res, & rationes neque iudicio, neque præſidio iuuaſtis unquàm, audetis me liberè dicendi facultatis arguere; non iniqua excogitantem, commodis amicorum permaximè ſtudentem, uera ſemper cum magna uniuſcuiuſque charitate, non ficta, nō inania prædicantem, honeſta demum, atque etiam uiro digna nauare proprijs neruis contendentem. Colligite iam uos ipſos ò inſigni macula; turpiſsimaq́ue ignominia notati homines: Cohibete teterrimas cogitationes iſtas, & ueteros ueſtros mores nouis conſilijs; & accuratioribus commentationibus. fruſtra enim nituntur ij, qui obtuſis auribus criminatione; præcipites in me feruntur, qui me in hominum inuidiam uocant, quiq́ue meum nomen peruerſe diminuere ſtudent. Nam & Deus ipſe, qui mentium benè ſentientium inſpector eſt, recti animi mei contentionibus nullo non tempore fauebit; & Hortenſia quidem ipſa ueſtri nunc mihi muneris uicem præſtans tantam imprudentiam, tantam immoderatam ueſtram inhumanitatem ſua in mei abſentis res nauitate uincet. Valete.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS ALEXANdro Farneſio Sanct. Rom. Eccl. Cardinali.

43

E T S I id accidit, quod mihi maximè fuit optatum, ut & epiſcopus noſter tuo, tuique præclariſsimi fratris Ranutij ſtudio, atque opera in priſtinam dignitatem reſtitueretur, & Ranutius ipſe fuerit nobis non inuitis de rerum familiarium controuerſiis arbiter à ſummo Pontifice datus, tamen hoc tempore ita magno, ità incredibili uerſor in mœrore propter uel illius opinionem, quæ in dies fertur in deterius, uel Cardinalis tui perlongam iam inferenda ſententia deliberationem, ut medico mihi ad ſalutem diligente, ac nobiliſsimo utendum ſit. Quapropter accedo nunc curandus ad te, Farneſi ſpectatiſsime, qui præſertim conſueſti ægris mederi, iacentes excitare, & petentes medicinam ſanare. In tuam fidem, & pietatem confugio, quam non es paſſus ab ullo unquã ex Chriſtiano ordine deſiderari: altera in conſilijs præſtandis optima, & mira: altera in hominibus iuuandis ſumma, & conſtanti omnium ſermone celebratiſsima eſt. equidem de fratris tui tarditate querimoniam prorſus non habeo. eius enim tanta eſt ornamentorum præſtantia, ut quaſi æmulus ipſe, & comprobator laudum tuarum emineat nunc

in tot ſapientiſſimorum patrum conſilijs; ſed que ror nimirum cum fortuna hoc nomine; tùm quòd qui antea ſperaſſem, quæ ueſtra eſt humanitas, & beneficentia, meam tenuitatē ex magnificētiſſimis, infinitisq́; ueſtris ſumptibus ſuſtētari, ea mihi gratia in præſentia fuit minus tributa; quæ poterat hoc quidem tempore, & me æquiſſimi uoti compotē efficere, & illum iuſtitiæ, animorumque conſenſionis ſtudioſiſſimum, quemadmodum ſemper fuit, oſtē tare; tùm quòd idem aut grauiſſimis occupationibus diſtentus, aut moleſtia potiùs Peruſcorum lenitatis affectus uoluerit rebus non dum cumulatè auditis negocium ſibi, ac ſuo excelſo iudicio concreditum, ſummaque manu explicandum lento admodum homini, & ociosè gerenti dare. Quo circa (Pater Ampliſſime) cum uos duo ſitis, qui nominis, ac nobilitatis ſplendore illuſtratis Sanctum Apoſtolicum Senatum, qui porrigere omnibus, ac tendere lumen ingenij, & conſilij ueſtri nunquam deſiſtitis, cumque demum ſitis, in quibus ea inſunt omnia, quæ in maximis, ac optimis uiris poſtulanda ſunt; non me hominem ueſtræ præſertim clariſſimæ familiæ perquàm addictum à ſuo portu, ſuoque profugio, ueſtra prolixa, beneficaque abſterreat, neque excludat natura; ſed ità occurrat diù iam domeſtica crudelitate laboranti: ut magis prædicanda, quàm optanda regia Farneſiorum probitas ſit. Cauſa mea non modicùm per ſe inſtructa

eſt; cum

eſt; cum tot iam dictis de ea ſententijs omnes ad unum iudices aſſenſi ſint; cumque præterea ſatis multos annos ipſe in bonis extiterim: Teſtium pol, quos habeo tam honeſtæ, tam miſerandæ cauſæ locupletiſſimos, neminem huc adduco, omnes omninò miſſos facio: ſed ſolam cum tui Ranutij fidem, & conſcientiam, in qua plurimum acquieſco, tum tuam illam in ei me commendando ſedulitatem, & miſericordiam imploro; quæ te cunctarum rerum poteſtate, & dominatu digniſſimum non ſolum gloria, ſed ſempiterna augebit beatitudine. Vale.

IVLIVS PERVSCVS ALOISIO Conclio Sanctæ Rom. Eccl. Card.

44

TVis iucundiſſimis, atque humaniſſimis, immò etiam ſalutaribus literis Quinto Idus Aprilis ex Vrbe datis adhuc non reſpondi (Pater Ampliſſime) quoniam ego loborans tūc infirmiſſima ualetudine in lectulo nec corpore ſatis, nec mēte cōſiſtebā. Nūc autē cū Dei in primis cōceſſu melius mihi ſit, nō ſum arbitratus quicquam magis ad me in præſentia ſpectare, qui te tam diu colo, & obſeruo; quàm corrigere iā aliquo literarū genere iuſtam hanc meam tarditatem, nec ſuperſedere amplius officio reſcribendi; præſertim cum per illam incredibilem uoluptatem,

qua ex tuis literis ſui affectus, refertis quidem humanitatis, amoris, & ſuauitatis, ſentiam mihi quaſi in immenſum creſcere in dies ſingulos incolumitatem. Quid enim mihi in illis iucundius, amabilius, aut tua dignius dignitate accidere potuit: quàm intelligere te tantum uirum, & Cardinalẽ in ſtudio eſſe, ac deſiderio non nihil de mei tam tenuis, ac certe fidelis, & tibi perquàm addicti hominis ſtatu pernoſcendi, teque munuſculum noſtrum ad uſum tibi domeſticum miſſum, ita grato, liberalique animo accepiſſe; ut eius exilitas minimè tegenda ſit nobis idonea, uel temporum, uel locorum excuſatione. In tuis literis non modò benefici patroni, ac domini uoluntas, & ſtudium; ſed optimi parentis cura quædam expreſſa uidetur. Quæ quidem omnia ſolida ſunt, & perſpicua tui magnitudinis animi, & Chriſtianæ probitatis indicia. Quæris igitur (Vir ſpectatiſsime) quid me cauſæ potiſſimum in hæc loca compulerit; quæ nunc ſit uita noſtra; quæue noſtri ſtatus conditio, & quo in genere occupationem uerſer. Certè non repetam altius initio; neque ſingula perſequar: tum quòd uereor ne grauiſsimis tuis occupationibus intempeſtiuus interueniam, tum quòd ſpe maxima ducor, poſſe me tecum primo tempore, quàm plura huiuſmodi familiariter percurrere. Breui tamen ſic accipito. ego ad has regiones ſpecioſis cauſis libenter conuolaui: & iam nunc ſuſtineo iudicij exercendi pro-

di pro-

di prouinciam non inani conſilio ſuſcepi, & profeſſus ſum. Primùm quidem, ut oculos ab iſtis urbanis miſerijs planè auerterem, quas cùm etiam auribus inuitus percipiam, non tam animi dolore, ac moleſtijs unà cum noſtris ciuibus tabeſco; deinde ut odium nonnullorum in me iniquè ſtructum qui aſpirare ad Pontificis aures facilius poterant, mollirem abſentia mea, & mitigarem. ego hic ſat honorifico fungor munere; ſed paulo fortaſſe plus negocioſo, ac moleſto, quàm uel Chriſtiani ſenſus, uel domeſticæ meæ occupationes ferunt. non quòd mihi iam prouincialibus moleſtijs aſſueto cauſæ, & controuerſiæ diſtrahēdæ negociū faceſſāt: à quibus nullus mihi dies modò in hoc, modò in altero oppido forū agēti uacuus eſt; ſed quādo uideo miſeras has gentes uexatas, exinanitas, & oppreſſas aſsiduitate onerum, atque acerbitate uectigalium, & tributorum; à quibus eas nulla pecunia, nulla induſtria poteſt unquàm uindicare, nequeo me ipſe in tam ignobiles, ac propè impias curas mergere; ut talium, me prorſus imperante pecuniarum ſummulæ auſtero illo more, qui à quacunque principatus ratione diſiunctus eſt, cogantur. Ita demum in hoc munere meos omnes neruos quotidie contendo; ita miſerorum, ac laborantium ſalutem, & principum harum gentium decus, & commodum ſpecto; ut ab alteris nihil unquàm laboris, aut pietatis; ab alteris nihil induſtriæ, nihil officij deſiderandum ſit

dum ſit mei. Habes iam magna ex parte cauſas, & rationes ab quas deſierim hoc tempore Vrbem colere: quod genus à me his in locis uitæ degatur, & eo tandem in ſtudio meas conſumi horas, quod certè non eſt alienum, uel à tuo rectiſsimo ſenſu, ac deſiderio, uel ab ea fide, & uigilantia, quam pro mei officij munere, proque mei tenuitate ingenij principibus ipſis, & populis meæ fidei concreditis præſtare debeo. Tu interea ne uelis ab illa mente, conſilioque deduci: ut nullo unquàm, aut locorum interuallo, aut moleſtiſsimo munere ſim uenturus in obliuionem meæ in te perpetuæ obſeruantiæ. Vale.

IVLIVS PERVSCVS N. ARCHIepiſcopo. S. P. D.

45

AD eam beneuolentiam, & obſeruantiam, qua te ob plura tuæ uirtutis, & induſtriæ inſignia proſequi debeo, magnus accedit cumulus ex illa omnium ſermone celebrata Cornelij ampliſsimi humanitate, qua me ita ad omnem cupiditatem, & ſtudium eius colendi, ac uenerãdi nominis incitatũ ſentio; ut unũquemq; ueteri, atq; illuſtri Corneliorũ familiæ addictũ uirũ maximè mihi diligẽdũ, atq; obſeruãdũ ducã; ſed accidit medius fidius, & cõtra uoluntatẽ meã, & præter inſtitutum; ut ex quo me ad Vrbem contuli ex

iuriſditione, qua fungebar, nullo tecum officiorum genere egerim. Quo circa non mediocriter mihi uerendum eſſet; ne aut negligentiæ, aut iuhumanitatis nomine poſſem accerſiri niſi tua ſumma prudentia recte admonerer, te maxime omniũ ſcire; quàm parum temporis attentus quiſque pater familias ualeat ad officiorum cultum comparare. Qua propter non explebo nunc officium meum ullo aut uerborum ambitu, aut excuſationis genere, cum & tibi non cum ueri criminis reo, & mihi cum benigno meæ, ſi qua fuiſſet in me, negligentiæ interprete, agendum ſit. Sed illud te ad extremum oro, atque hortor; ut tam libenter meæ in te incredibilis beneuolentiæ, obſeruantiæque memoriam apud te conſeruatam uelis, quàm conſtanter ipſe animo teneo, nullum à te relinqui locum in iſto ſacro conuentu uel tuendæ, uel etiam augendæ Rei Chriſtianæ uexatæ publicæ. Vale.

IVLIVS PERVSCVS CAMILlo Epiſcopo Fratri. S. P. D. 46

NVNC certè intelligeres, Frater, ſi tuis in rebus intereſſem; quid Iulius niti uiribus, quid conſilio prouidere, quid ſtudio planè, ac precibus ualere poſſet apud nonnullos egregios, maximeq; illuſtres uiros; quorum gratia, & auctoritate uidetur Dux iſte Florẽtiæ præſtantiſſimus moueri. Quod quando mihi non licet

uel per tuam in me parùm propēſam fidē, & uoluntatem, uel per moleſtiſsimas, quibus aſsiduè in iuriſditione diſtineor occupationes; hortabor his te quā paucis quamq; etiā fideliſsimis, et admonebo uerbis pro Chriſtiana, & fraterna illa, quam in me nunquàm exercuiſti; charitate, ut nō ceſſes nimirum in procuratione tuæ reparandæ dignitatis; nec ullum relinquas locum tibi cōparandi apud ſummum Pōtificem idoneum, & grauiſsimum interceſſorem, qui tuæ cauſæ præſto ſit; qui non recuſet ex tuæ potius inſequentis, quàm anteactæ uitæ exemplo ſuſcipere in ſe tuarum rerum propugnationem: qui non lentè, non remiſsè, non ſuſpenſa manu, ſed ſtrenue, & aperto corde, teque, & tuarum uniuerſas difficultatum rationes Pontifici ipſi commendet. ſed hæc mehercule uereor paratioris animi ſint negocia, quàm tui. Non enim tanta cura, tantoque neceſſario opere ſuperſedendum eſſet: dediſcendæ tibi ſunt puſillæ, ac ueteres cogitationes tuæ. Refer itaque animum ad grauiora, atque ad ea potiſsimum, quæ & digno uiro, & tua dignitate digna ſunt. Contende quæſo in hac cauſa omnes tuos neruos; ne te homines noſtri, quorum in uoculas tam diu incidiſti, hoc etiam ceſſationis crimine, & inertiæ accuſent. Vale, meque ſcias, in deſiderio eſſe tuæ nouiſſimæ ad Pontificem perlegendæ orationis, quam ſi ad me tranſcriptam miſeris; iam mihi uidebor collegiſſe ex hoc ipſo primitias tuorum beneficiorum.

IVLIVS

IVLIVS PERVSCVS ANTOnio Mariæ Saluiato Epiſcopo.

47

NON obliuione ueteris in te meæ obſeruantiæ, non ſuperbia, neque inhumanitate ſuperioribus diebus Romæ cum te uia incedentem uiderim, nullo tecum officiorum genere egi; ſed quòd ipſe, qui tunc mihi nullam uacuam horam ad officiorum cultum comparare poteram propter aßiduas, & moleſtiſsimas iuriſditionis, qua eo tempore fungebar, occupationes, conſtitueram ut primum tam negocioſum munus abſoluiſſem, ad Vrbemq́ue reuertiſſem, me ſtudiosè ad tuas ædes conferre, ut & uidere te, ac uiſere tam longo interuallo, & tibi potiſsimum de tua deq́ue tui tanta patrui uiri clariſsimi, hominisq́ue ſapientiſsimi acceßione prolixius, atque cumulatius gratulari poſſem: quem quidem non modo huius excellens Pontificis iudicium, inſignisq́; illius in Remp. tutandam nauitas, ſed aliorum hercle Principatuum tempora ad hanc digniſsimam ſua uirtute, & meritis dignitatem efferre debebant. Nunc uerò quando huc ab illiuſmodi exercendi iudicij munere reuerſus offenderim te hinc ad publicum conuentum profectum, mihiq́ue hoc nomine fuerit planè ereptum, quod omnibus uotis optabam, uariè me meo reditu affici ſentio. Nam & doleo animo uehementer, quòd eius uiri caream iucundiſsimo conſpe

ctu, cuius ego naturæ comitatis, & beneficentiæ fruendæ iam diu flagrabam deſiderio; & lætor mirificè quod tam recens dignitas in bona tua ætate ſic maturè, ſic tempeſtiuè contigerit uſui afflicto chriſtiano gregi. Qua quidem in diſceptatione doloris, & lætitiæ cum ſim, rationibus utrinque perpenſis: tãdem æquius multò eſſe duxi, animum ad firmum, & fundatum gaudium, quàm ad triſtitiam ullam referre; præſertim cum tu ea ſis indole, animique præſtantia; ut non minori cura, & ſtudio abſentes amicos proſequaris; ac præſentes, incommodaque tuæ abſentiæ, quibus commoueri unumquemque tibi addictum intelliges, plurimorum compenſatione commodorum lenire ſtudeas cumque ea præterea, quæ uoce coràm tecum eram acturus, poßint aliqua ex parte per literas exponi. Si redigerem tibi in memoriam (ſpectatißime Præſes) initia perennis, ac propè incredibilis meorũ maiorum in tuã familiam obſeruantiæ, quæ ſemper animo à me potius retenta, quàm officijs, & aßiduitate conſuetudinis fuit culta propter noſtram uitæ diſiunctionẽ, ac negociorum dißimilitudinem; relinquerem fortaſſe teſtatius apud animum tuũ, quàm bonis adductus rationibus, quàm ueteri aſtrictus uinculo alacer nunc, & lætus ueniam ad te gratulatum ſed cũ putem tibi ea eſſe non minus nota; quàm plurimis, cumque non eæ ſint curæ, & occupationes tuæ hoc tempore, atque in iſtis locis; ut literis interpel-

landus

landus ſis; Breui igitur gratulabor in præſentia non inani erectus lætitia tum tibi de tuorum primitijs ornamentorum, & tuæ laudi, quòd ita te inſtituas, atque appares, ut honore iſto, quo nuper affectus es, & ſpe etiam, quam de te ſummæ uirtutis, ac benignitatis eximiam præbes, magnum in te præſidium ſimul, & decus ætas admodum languens noſtra uideatur eſſe habitura, tum ueteri, atque illuſtri familiæ tuæ, quam uideo nihil ab eis muneribus, quæ ſemper in ea plura, & maxima floruerunt, deflectere; tum Pontifici maximo, qui ſuo ex certo, euigilatoq́ue iudicio non eſt paſſus tam neceſſario tempore ueſtram ſingularem fidem, & uirtutem à noſtro reparando, uel prope ruenti nomine deſiderari; tum uexatæ denique Rei Chriſtianæ publicæ, quæ ſi nuſquã alias, hac præſertim calamitoſiſsima tempeſtate talibus uiris, talibus fautoribus augeri debuit, qui nos magno ſuæ uirtutis præſidio, ſummo etiã ſtudio, ac pietate erga Catholicam religionem, cum ab inſidioſorum hominum temeritate uindicatos, tum à periculis, quæ mihi multa, & grauia uidentur impendere, tutiſsimos reddant. Vale.

IVLIVS PERVSCVS FRATRIbus. S. P. D. 48

VESTRA *me in primis parum propenſa erga res meas uoluntas, ueſtra deinde priſtina de me inique cogitandi ratio*

non con-

non conſuetudo quidem mea, non negligentia ulla, neq; moleſtiſsimæ, quibus in iuriſditione aßidue diſtineor occupationes, à ſcribēdi munere deterrerūt. Nihil enim magis à ueſtris ſenſibus alienum uideo, quàm cum auditis ipſi quòd uiuam: ſed quæ poteſt eſſe tam grauis laßitudo, tamque inſignis occupatio, aut tam honeſta cauſa, quæ debeat fratris officium, ac fidem impedire? Quid porrò mihi tam gratum, atque expectatum abſenti? quam his præſertim in locis eorum tandem ſalutari literis, quorum & uerbis, & rebus adhuc mirandum in modum oppreſſus iaceo. Sumus omninò fratres, unà omnes in culpa: ſed tamen longè diſpari. ego ſic in leui, ut ſola conſcientia poßit me quacunque culpa præclarè liberare. In uobis uniuerſæ inſunt culpæ uel Chriſtianæ pietatis neglectæ, uel porrò fraternæ coniunctionis nullo unquàm officiorum genere cultæ. ſed nè incidam in turpium ſtomachoſam noſtrorum facinorum commemorationem, quæ non modo in oculos, uerùm etiam in uoculas hominum incurrunt, utar hoc duntaxat argumento, quo ſæpe numero ſoleo, uoſque hortabor præcipuè cum ad corrigendam iam ueterem, atque impiam animorum ueſtrorum uoluntatem, tum ad præſtandum mihi, & filiolis puſillum eius memoriæ, pietatis, ac fidei, quàm pro fraterno iure debetis: ut & Deus ipſe, cuius uobis grauis ira iam diù uidetur conſtituta, & parata; benignius in poſterum cum inex-

piabili-

piabilibus ueſtris erratis agat, & ego, boniq́ue omnes intelligant aliquando uos de tam miſera, deteſtabiliq́ue opinione deflectere. Sexto Idus Maij.

IVLIVS PERVSCVS LEONARdo Columbino Iuris Ciuilis & Pontificii prudentisſimo.

PERSVASISSIMVM *mihi ſemper fuit, eſſe te eiuſmodi uel moderat one animi, uel magnitudine ingenÿ, uel ſingulari, etiam in iure Ciuili, ac Pontificio ſcientia, ut nihil tuo iudicio perſpicacius, nihil denique te copioſius reperiri poſſe intelligam. Quaquidē de te opinione impulſus, uenio nunc te rogatum, ut ſtatuas iam, & iudices in quem noſtrum conferenda ſit tam diuturnæ intermiſsionis amicitiæ culpa: in te nè, qui huc ad tuos ſcriptitans nunquam de me in tuis literis mentionem feceris, an in me potius qui ex eo tempore, quo unà cœnauimus apud epiſcopum Gaditanen. proprium Romæ domicilium nō habuerim. ſi me tantæ culpæ reum tuo iudicio facis ne cunctare diutius in curſu aut dicendæ, aut mittendæ ad me tua manu ſubſcriptæ, & obſignatæ ſententiæ, ut non coniectura tam, & commentatione ſolùm, ſed certo tuo indicatu, ueritateq́ue ipſa ducar ad nefarium facinus cognoſcendum: ſi uerò ingenuitate animi, & conſcientia tui non poteris ef-*

fugere; quin te ipſe hoc crimine condemnes; non eſt cur calamum ob hanc unam cauſam ſuſtineas, teque a ſcribendi munere abducas. Tibi enim illud polliceri, & confirmare audeo, me fore non minus benignum tuarum rationum interpretem, quàm fueris tu cùm deſpiciens beneuolentiſsimi ex animo amici, tum immemor admodum meæ in te ueteris obſeruantiæ: Sed uereor, quin ſummis loci iſtius occupationibus diſtentus, in quo audio tuorum ſtudiorum inſignia pulchrè eminere, non poſsis, neu potius Velis ad hominis tam puſilli, ut ego ſum, negocia deſcendere, neque dignum me interdum ducere, quem habeas tuorum exoptatiſsimorum ſcriptorum participem. Quod quando ita eueniat, nec iam amplius mihi ambigendum ſit de tua in me tam exiguè propenſa uoluntate, alterum iudicem, qui ſe integrum, & ſeuerum huic cauſæ præbeat, non ſumam, & te de inculta amicitia, diuturnoque ſilentio minus contendam accuſare, ſed mecùm ipſe reputabo, te ualde repugnanti animo deſciuiſſe ab illa humanitate quæ tuas uirtutes cæteras magnificè augere, atque ornare ſolebat. Vale.

IVLIVS PERVSCVS FRATRIbus S. P. D.

50

PERCVNCTANTI *mihi ex meis literis, quid ſit, cur illæ ad uos heſterna die non properaſſent: quærulæ ita reſpon-derunt*

derunt, omnino ſi quæris, hære, nihil tam nobis moleſtum, quàm cum ſumant nos in manus fratres tui. explodimur enim nullo non tempore è domo eorum non clamore ſolùm, ſed conuicio. aiunt enim nos uel ſtommachoſiores, uel intempeſtiuas admodum eſſe, ad quod illud etiam addunt, quod nouiſsimè ad uos noctè concubia aduentantes non potuerunt ſub pauculo tecti occluſis hoſtij repagulis à ueſtris literis excipi: quibus quando noſtræ mihi uiſæ ſunt ita iratæ: ut cupiant quaſi deſcendere ad temerarium diſcrimen, maxima ſpe ſum, uos, qua ſumus inter nos fraterna coniunctione minimè paſſuros, me præſertim denunciante, ueſtras pugnaces, neruoſas, & conſumatiſsimas literas cum noſtris gracilioribus, atque ieiunis in congreſſum uenire. Iocularе namque duxi ut hæ, quæ uerſantur in lubrico, audeant explorata potituris uictoria certamen indicere.

IVLII

IVLII PERVSCI
PATRICII ROMANI
EPISTOLARVM
Liber Quintus.

IVLIVS PERVSCVS ALEXANdro Sfortiæ Epiſcopo Parmen.

51

QVONIAM *te nulla neque priuati, neque publici muneris procuratio à beneficijs præſtandis abducit, non potui nunc non ad te opera, & animo iſtis in locis mirificè diſtrictum familiariter, ut mea perquàm uetuſta in ueſtram clariſſimam familiam obſeruantia poſtulat, ſcribere, ſi quid eſſet rei præſertim, quod me ad tuam ſingularem humanitatem implorandam inuitaret: cuius quidem declarandæ ſi paululum tibi ocij ex grauiſſimis iſtis Chriſtianæ reparandæ fidei curis comparare potueris; tanta, & tam præclara dabitur hoc tempore facultas, ut commodiore loco, patentioreq́; uia peruenire ad eam in me exercendam non poſſes. Appetit enim dies creandorum hic magiſtratuum, in quibus multorum ore circumfertur, neminem pro-*

batum iri ex ſuffragijs, aut ex perturbato noſtro urbano more, ſed uno ex Pontificis imperio, tuíque ex electiſsimo fratris iudicio, ac uerbis, ad quẽ huiuſmodi omnia nunquã non ſolent referri. Qua de re nihil iam uideo de ueſtra remiſſum poteſtate: ueſtra ſententia magnum apud hunc principem habet põdus: in ueſtra manu eſt producere homines uobis addictiſsimos ad tales honores, atq; eos potiſsimũ, qui ſedem omnium rerum, & fortunarum ſuarum in domicilio gloriæ, atque imperij noſtri collocarunt. Quo in numero ſi reponendus ſum, cum ſex, & uiginti ab hinc annos longè alia conditione, ac plures ex ijs uixerim, qui uel recente, uel nulla etiam familiaritate uobis copulati ueſtra gratia, ueſtris aſsiduè ſtudijs honeſtantur: non erit mehercule alienum à tua beneficentia, & pietate agere proximis tuis literis non lentè quidem, aut remiſsè cum glorioſiſsimo Cardinali de meis rationibus, ut quod ego à fortuna tam diu damni accepi, unius nunc tui ſtudium, & prudentia reſarciat: nec non curare pro tua ſumma fide, proque tui mira ingenij ſolertia, me hac prima renunciatione in illum ordinem legendum, quem ueſtri altitudo animi, ueſtræ nobilitatis ſplendor, ueſtrorum ſtudiorum famæ celebritas, & meæ denique maturitas ætatis requirit. Ad quod ſi te non officium, neque mea in te merita, Chriſtiana tamen charitas, & inſignis illa, quam ſuccipere de iuuandis hominibus nunquã de-

ſinis

ſinis, cura, & ſolicitudo debet ſtimulare; præſertim quãdo ego, neq; ambitione ulla, neq; alia leui cauſa me labi ſino. miſerrimæ namq; ſunt hoc die in Vrbe honorum contentiones: ſed cũ eas ſit propria, & perennis ueſtra gloria; ut in ſumma beneficiorum copia, & in diuina ueſtrum amborum uirtute, ac manſuetudine poſsitis facile cũ omni Regum ſpecie, ac dignitate adæquari, grauiter pro eo, ac debeo, moleſteque feram; uos charos patriæ, longinquis regibus gratioſos, & florentes denique uerißimis uirtutum inſignibus hanc iam immortalitatis uiam ſapienter ingreſſos de ueſtrarum actionũ curſu mea cauſa deflectere. Proinde (Vir ſumme) ſi tantis initijs hæ tantæ ſunt excitatæ laudes, hoc quoque præſidio, quamuis exiguo, ueſtra firmanda eſt amplitudo; ut nullum quantumuis mediocrem, aut tenuis fortunæ hominem à ſuo portu; ſuoq; profugio ueſtra prolixa, beneficaque absterreat, atque excludat natura: mihique tam conſtantis fidei, tam ueteris obſeruantiæ uinculo propè inenodabili uobis cõiuncto in tam iuſtis precibus ita occurrat: ut non illarum me feciſſe iacturam aliquando audeam putare. Quo circa contende, & enitere omnibus euigilati tui conſilij neruis, ut aliquod iam, te Duce, & quaſi ſignifero noſtræ cauſæ appareat in nos ueſtræ domeſticæ humanitatis, ac liberalitatis ueſtigiũ; utq; Cardinalis ipſe, quem graue tanquam numen ſupra mortalitatem omnem meo-

nem colui ſemper, & ſuſpexi, uincat interdum ſuis officijs cogitationes meas. Vale.

IVLIVS PERVSCVS ALEXANDRO Sfortiæ Epiſcopo Parmenſi.

52.

CVM ex tuis ad me humaniſsimè ſcriptis literis facile cognouerim, te ſic diligenter intimeque res meas fratri tuo ampliſſimo commendaſſe, ut mihi tuæ in me futuræ beneuolentiæ indicium, indicijque teſtimonium imperieris; non potui mihi non ſummè perſuadere; quin omnia ea ſim abs te nunc adeptus, quæ ab optimo, maximeque inſigni uiro expectantur. Non enim unquàm ullum quantum uis præſtans beneficium cum hac in me tui animi egregia ſignificatione, ac uoluntate contuliſſem; quam quidem, ut pro tua conſtantiſsima fide, ſingularique etiam liberalitate non conſerues ſolum, ſed augeas in dies oro te ſummis precibus, atque obteſtor: ego uerò, quoniam meæ tenuitati nulla præſtita eſt facultas tuo in me reſpondendi merito, dabo operam, ut mihi ſatis ipſi, & hominibus uniuerſis in perpetuum faciam ad tantam prædicandam certè, atque habendam gratiam, quantam uel capere animus meus, uel referre tibi pro me Deus immortalis poteſt. Tu igitur (Alexander ſpectatiſsime) qui iam non nihil de me

iuuãdo curæ, ac ſolicitudinis ſuſcepiſti; perſequere interea omnes uias quibus putabis, poſſe te mihi faciliorem aditũ ad ueſtram domeſticam fruendã liberalitatem comparare: Perge ita me tueri, cum res, tempusq́ue poſtulauerit, ita ijs omnibus accuratè commendare, quorum mihi auctoritate, & opera utendum eſt, ut & nullo patrono poßim eſſe munitior quàm te: & Cardinalis ipſe, qui aut per tuarum tarditatem literarum, aut per moleſtiſsimas eius occupationes, aut per ſummi fortaſſe Pontificis imperium, nequiuit hac tempeſtate tibi de me roganti obſequi; cognoſcat deinceps ex tuo in me ſtudio non tam meam erga illum uetuſtam, atque incredibilem obſeruantiam, quàm tuam erga me humanitatem, & beneficentiam fore ſibi grauem conſtitutam, ac paratam aduerſariam.

IVLIVS PERVCVS ALEXANdro Sfortiæ Epiſcopo Parmenſi.

53

C*V*M *diligenter mecum reputarim, quibus artibus, ac diſciplinis fueris à puero inſtructus, quæ tua ſemper fuerit prudentia, quæ uirtus, grauitas, & quæ tui altitudo animi, non hoc mihi ſumere auſus ſum, ut te de immatura morte ampliſsimi Cardinalis optimi fratris tui per literas cõſolarer: præſertim quòd amiſſo tam ſingulari uiro, orbata tam inſigni lumine tua*

familia,

familia, erepto tibi tali fratre, tot eximijs ornamentis prædito ingenij, uirtutis, prudentiæ, ac integritatis, eum te, ut audio, rebus in omnibus præſtes uoce, uultu, animiq́ue firmitate, ut mirentur cuncti, qui nam telum illud cruentum à fortuna ualidè in tuum pectus intentum eduxeris, ſpectentq́ue perplures ex hac potiſsimum conſtantia inuictum animum tuum. Quapropter omittam omnia quæ populi communia ſunt, & quorumlibet hominum, in quibus uulgares, & quotidianæ animi imbecillitates inſunt; nec eis rationibus, quas ipſe alijs ad conſolandum afferre debes, conabor te præclaras natum ad res agendum, non ad plorandum, ab impendenti moleſtia abducere: Tantum autem pro mea uetuſta in ueſtram clariſsimam familiam obſeruantia te orabo, atque hortabor, primùm nè putes maximo illi uiro, quem adhuc noſtra uniuerſa ciuitas uelut communem, & ſuam, non ut propriam ueſtri generis calamitatem luget, quicquam triſte, aut acerbum eueniſſe: cum tot relictis præſtantiſsimis fratribus, teq́ue in primis imagine uirtutis, & auctoritatis ſuæ, migrauerit è fluctibus ad tutiſsimas cœli regiones; deinde, ut ſic illa eadem tua uirtute, qua ſciuiſti te ipſum, ſuſtentes itidem tuos omnes: Sic te Guidi Aſcanij præclarorum inſignium cõſortem exhibeas, ut quicquid in illo amiſſum deſiderare poſſemus, id nobis à te omne uberrimè reſtitutum uideamus; poſtremò, ut ſta-

tuas ex tam acerbo incommodo altiora tibi hoc tem pore iacienda fundamenta dignitatis tuæ; ducasque nihil tantum eſſe, nec tàm amplum, ac tàm præſtans, quod tu de tua familia cogitare non debeas; quam nuper florentem, ſummoq; honore in fratris tui amplitudine ornatũ æquiſsimus et clemẽtiſs. Põtifex non ignarus quidem omnem tibi gratiam, & dignitatem iure optimo deberi, maturè in priſtinum decus reſtituet. Non enim te ab ea rerum adminiſtratione, quæ tua digna uirtute, & ſapientia eſt, poteſt is diutius prohibere, ſi tamen hoc tem poris potius eſſe beneficium nollet, quàm iam ſuũ. Cum igitur (Alexander Spectatiſsime) tota rerum meliorum ſpes in tui unius prudentia, ſtudio, & conſilio repoſita ſit; cumque te illas tandẽ ad cogitationes, illamque ad animi firmitatem contuleris, quam & nominis tui celebritas, & rerum tuarum ratio, & ueſtræ familiæ ſplendor poſcit; Reliquum eſt, ut tuenda ſit tibi diligentiſsimè imbecillitas ualetudinis tuæ, de qua mirum in modum ſoliciti eramus; & firmior, cùm te commodè per hyemis uim committere itineri poſsis, contendas Romam tuam petere; ut ciues, & familiares tuos reuiſas, pleroſque eorum labentes excipias, fractos, ac diſsipatos nonnullos ad unum compellas, multos diffidentes confirmes, manſuros in fide, & officio erga uos amplectaris, uexatos, & afflictos erigas, perditos, & profligatos

fligatos

ſligatos à lachrimis, & mœrore tuo oxoptatiſſimo aduentu recrees; nec non domum tuam inanem hoc tam lauto ſupellectilis genere honeſtes, atque inſtruas. Quod ſi te ad hæc imparatum homines minus offenderint, non ſolum præclaras ipſe ac perpetuò commemorabiles in Dei hominumque conſpectu exequias, fratri tuo duxeris; ſed tanta certè ex tua uirtute, atque induſtria, cum tibi uni, tuæque afflictæ domui, tum tuis omnibus familiaribus, poſt tantas tenebras, tantumque occaſum, lætiſſimi illuceſcent dies.

IVLIVS PERVSCVS ALOISIO Cornelio Sanctæ Rom. Eccl. Car.

54

SI ea ineſt uis (Pater Ampliſſime) in tuis omnibus commendationibus, ſi ea quoque ſalubritas in tuis muneribus, qualem ego nuper in mearum rerum difficultatibus expertus ſum, permulti erunt profectò, qui nihil aliud agent, nihil curabunt; niſi ut ad te, atque ad tua tam ſingularia bona poſſint aſpirare. Nam & commendati à te tuis ſtudijs facilè uoti compotes efficiuntur, & mala etiam affecti ualetudine tuorum munerum largitate in meliorem ſæpe reſtituuntur. Non ne tuus Thomas homo mehercule officij plenus, tuorumque

familiarium ſtudioſißimus meam ſic accuratè iudici controuerſiam tuis uerbis commendatam reliquit: ut iudex ipſe, apud quem tua pro me commẽdatio proxima fuit Pontificis mandato, liberè in cauſa ſententiã dixerit, & uxor porrò mea quæ nõdum ſtomacho, & capite confirmata uidebatur, ita tui primarij panis conſolatione erecta eſt, ut & ſe bellè habere, nec ſatis grauiter ſuum ferre partum ſperat. Incumbe igitur (ſpectatiſsime Corneli) cum in hæc ſtudia, quæ propria ſunt ampliſsimi tui ordinis iſtius, tum ad eorum hominum ſalutem, qui ſe iam tuam fidem, & clientelam contulerunt.

IVLIVS PERVSCVS PIO IIII Pont. Max.

55

ADMIRABILI *tua ſapientia (Pater Sancte) ſummoque illo ſtudio, quod afflicto Chriſtiano generi continuè nauas, præclarè admoneor, omnes eſſe in te Glorioſi principis partes, cuncta diuini, ac ſanctiſsimi Pontificis munera. Quo nomine uerens ipſe, qui tibi, & tuæ gloriæ uitam debeo, propter tua merita nuper in fratres, inque familiam meam uniuerſam; nè quid occultæ, quaſi caliginis offundatur ſplendidiſsimis tuæ probitatis luminibus; non potui mihi non ſumere; quin ſtratus nunc tibi ad pedes conten-*

dam ſum-

dam ſummis precibus, ut uelis Romam tuam, quam iam affectam, & proſtratam extollis in dies tua præſenti uirtute, tuoq́ue incredibili ſumptu, his quoq; firmare pluſculis præſidijs: quorum illud eſt, tum quòd in creandis magiſtratibus non unuſquiſque ex ſorte potius, atque ex ſuffragijs, quàm tuo uel ex imperio, uel ex electiſſimo, excelſoque iudicio probetur. Sic enim abutimur immoderatè tanta licentia, tuaq́ue facilitate, uel ad quæſtum, uel ad propinquorum cupiditatem, & obſequium; ut uni ij ſemper ſine repulſa; ſingulis comitijs conſules, ædilesq́ue renuncientur, quorum præpropera eſt prenſatio, qui nulla unquàm negocia, nulla unquàm gerendæ poteſtatis munera obierunt, qui præterea immenſis opibus affluunt: tùm quòd idonei, atque exploratæ probitatis ciues, domeſticis præſertim difficultatibus oppreſſi, aut aliquo benignitatis genere ſuſtententur, aut ali quid habeant facultatis ſic ſe in publicis commodis, & utilitatibus exercendi; ut nec de tanto tuo ſubſidio, quo cunctus Chriſtianus orbis ſeruandus eſt, ſit illis deſperandum, nec tam florenti tua tempeſtate acerrima hominum ingenia parata nimirum ad iuuandum, ſocordia torpeſcant. Hæc quidem (Pontifex Maxime) quando non ſunt diſiuncta ab animi tui propenſa uoluntate in bonos omnes; ſi ad cætera perſanctè, glorioſeq́; à te geſta complecteris; de quibus unus etiam non ceſſo perſæpe,

 ac palàm

ac palam commemorare; neque Sanctitas ſua de ſui muneris maieſtate, deque Pontificia conſuetudine deſtrctet, neque multi, qui ad operoſa idonei ſunt munera, cogentur iam ſeſe inuiti externis principibus uenditare: Sed tibi certo Principi, & proprio Domino, tibi certo Pontifici, attentoq́ue Paſtori operam nauabunt, atque is accedet ex tam commemoranda liberalitate, & ſapientia cumulus ad ſolidam illam, & ueram tuorum meritorum gloriam, quæ ſtatuet tibi æterna inſignia, ut nihil poſthac futurum ſit tantum, nihil tam fauſtum, atque præclarum, quod poſſit præſens ætas in ſummo tuo principatu expetere.

IVLIVS PERVSCVS GVILLELmo Sirleto Sanctæ Rom. Eccl. Cardinali.

56

ITA ſe omnibus probat Pontifex Maximus in principatu (Pater Ampliſſime) ut neque aures eius ab ullo unquàm abhorreāt; neque benignitatem ullus unquàm fruſtra appellet, & tanta demum liberalitas, quæ in illo eſt omni literarūm præconio celebranda, ſumat per quemcunque ſuum nomen, ac ſtudium implorantem plus, plusq́ue in dies incrementum: ſic ſe præbet in ſua poteſtate, ut alia cum præſenti minime conferenda ſit poteſtas. Sed ego, cuius uita, uitæque

uitæque difficilis ratio non tibi, non tuo ignota eſt Borromeo, fato quidem in his omnibus propè uideor ſingulari, longeque diſpari conditione, ac permulti, quorum inopia, & egeſtas nunquàm domo, nunquàm cubiculo excluſa eſt tam commemorandi, ac planè diuini Pontificis, amplectentis nimirùm aßiduè animo & cogitatione totius Chriſtiani populi ſalutem. Nam ſimul ac te uidi proximis diebus ſic incommoda tentari ualetudine, ut tuam exercere humanitatem ad arbitrium tuum minus poſſes, plures ex Pontificis familiaribus adij, nonnullos ex propinquis exoraui, quò mihi facilior ad illum aditus pateret, & in eo denique pertentando, quid non auſum reliqui, quas fores non pulſaui: nemo aperit, clamantem nemo exaudit, erigit nemo inclinantem, ſitientem bonitatis, & munificentiæ ſuæ, medicinam, opemque petentem omnes deſerunt, ſanat nemo, corruere omnes ſinunt. Quod ſi mihi aut per meam tenuitatem, aut per maximas, & grauißimas curas, à quibus nunc præſertim conflato immanißimi hoſtis tumultu nullus dies nulla hora ſibi uacua eſt, licitum fuiſſet uenire in ſuum conſpectum, aperireque coram ſanctißimis pedibus tum meas domeſticas, tum publicas populi huius difficultates; non ſolum illius commouiſſem beneficentiam, eaque fortaſſe iam

ſe iam fruerer; ſed reliquiſſem præterea teſtatum apud ipſum, quid magna ex parte noſtrorũ ciuium animi, quid antiquiſſimi ciues, quorum res geſtæ luceſcunt, quid naui, & induſtrij, quid almæ ſedis, & Pontificiæ gloriæ ſtudioſiſſimi homines ſentiant de perturbato noſtro urbano more in creandis hic magiſtratibus. Qua propter quicquid uerbis agere coràm ſecum plenius haud potui, literis breuiter ſum perſequutus: earum exemplum à te percurrendum mitto: non ut, quæ in me non ſunt ingenij, doctrinæque bona uideas; ſed quando aueo ſubleuari meas calamitates à Pontifice tuis imprimis uerbis, tuis illis etiam ſtudijs, de quibus incredibilis eſt hominum opinio, non poterit non eſſe accuratior ex ipſis literis tua in me illi commendando diligentia. Itaque cùm ſperem illas aliquo Chriſti numine, atque auxilio celeriter ad ipſius Pontificis manus peruenturas; oro te interea, atque obſecro, tuam in benè de humano genere merendo animi propenſionem obteſtans; ut commodam iam uelis occaſionem ad aucupandam benigniſſimi Principis gratiam, & liberalitatem in me iuuando nanciſci; nacteque ita occurrere; ut & calamitoſi fortuna magis, quàm culpa homines, quibus in labore perferendo nec induſtria, nec uoluntas deeſt, poſſint hac tui Senatorij muneris tempeſtate ad ſpem ſanctæ, priſtinæque benignitatis erigi: et ſempiternus præterea meorum omnium de tuis iuſtis, ac pijs, non

dicam

dicam officijs, ſed pro meritis ſermo ſit futurus.

IVLIVS PERVSCVS VITELLOtio Vitellio Sanctæ Rom. Eccl. Cardin. S. P. D.

57

SI permaximas, & grauiſſimas tuas occupationes liceret mihi (Pater ampliſſime) uel uerbis coram, uel literis nunc tecùm plenius agere; fortaſſe neque mea in te incredibilis obſeruantia, neque mei animi curſus, & ſenſus tibi eſſet ignotus; ex quibus facilè colligeres, quàm flagrarim deſiderio, ut iſtius Queſtorij muneris decus, & dignitas tibi potiſſimum ſuſtinenda eſſet: cuius uirtus, ingenium, & mirificus magnarum rerum uſus in tot ſapientiſſimorum patrum conſilijs maximè eminet quantóque opere deinceps meruerim, quòd tua erga me iuuandum benignitas parum propenſa fuerit ſuperioribus diebus, cum crearentur hic magiſtatus: in quibus quidem ſi unuſquiſque ex Pontificis excelſo iudicio potius, quàm ex ſuffragijs probaretur; non uni ij ſemper ſine repulſa, ſingulis comitijs, quorũ præpropera eſt prenſatio, qui nulla unquàm gerendæ poteſtatis munera obierũt, qui præterea immẽſis opibus affluunt; ſed idonei quoque indigentes ciues nonnunquàm Conſules, Aedileſque renunciarentur. Quare cum mihi minus multa ſcribenda ſunt ad te, duo illa

erunt

erunt (Vir Summe) quæ te nominatim ſupplex uenio rogatum : primùm, ut uelis tibi perſuaſiſſimum eſſe, nihil in tanta tua poteſtate glorioſius, nihil hominum auribus, Chriſtianiſque ſtudijs dignius efficere, atque edere poſſe, quàm ſi probis, & induſtrijs hominibus ad operoſa idoneis munera, quos præſertim anguſtia rei familiaris præmit, magiſtratus perſæpe te autore, teque rogante committantur; deinde, ut quibus officijs, quaúe animi tui altitudine permultos optimis artibus, doctrinaque excultos in perpetuum tibi deuinxiſti, ea ipſe complectare etiam, ac foueas honeſtè uitam in egeſtate degentes, illi æternum tuorum meritorum præconiũ literis mandabunt: horum uerò pijs apud Deũ precibus certior tibi, ac facilior ad beatas, lætiſſimaſque regiones patebit aditus.

IVLIVS PERVSCVS FEDERIco Cornelio Epiſcopo S. P. D.

58

QVO iſthuc ad ſacrum concilium aduentu nuper mihi à præſtantiſſimo Zambecario nunciato non maiore equidem ſum animi lætitia elatus, quàm gratia, & beneficio affectus; præſertim cum tanti uiri literis, cui omnia ſingularia ſtudia debeo, id planè ſignificetur, quod mihi omnium fuit cum optatiſſimum, tum maximè ſperatum, te, quem mihi non minus, quàm fratrem tuum

ampliſſimum unicè diligẽdum, atque colendum duxi, bona, & integra ualetudine eſſe: nec non fore tuam prudentiam, integritatem, & minimè uulgarem uirtutem multo præſidio, multoq́ue emolumento afflicto Chriſtiano gregi. Maximas igitur ago humaniſſimo Zambecario gratias, qui de tuis ueriſſimis, ac iuſtiſſimis laudibus prædicãs cauſam mihi uel diu ab Vrbe abſenti, uel tui, ac tuæ clariſſimæ familiæ obſeruantiſſimo, tanti nec opinati quidem gaudij præbuit, quiq́ue me hoc recente merito, & nouo propè liberalitatis genere uoluit augeri: Tibi uerò, qui tam forti, ac ſapienti animo in religione uindicanda ſis, & Chriſtianæ potisſimum rei languenti publicæ mirandum in modum gratulor: quæ talem præſidem, talemq́ue fautorem nacta eſt, in quo magna ſunt uirtutis, & induſtriæ ornamenta. Ego (Vir Spectatiſſime) ſic tua probitate, tuaq́ue propenſa in catholicum nomen uoluntate, ſic tuis denique factis ſum incenſus, ut nihil unquàm in amore, atque obſeruantia mea ſit futurum ardentius. Perge itaque conferre iſta, quæ tibi à Deo data ſunt ingenij, doctrinæ, ac ſapientiæ munera, cum ad propulſandum inſidioſorum impetum, tum ad defendendum, atque augendum ſanctum Apoſtolicum Senatum. Pugna fortiter cum perfidis hoſtibus, in quorum diſciplina,

plina;& moribus nulla eſt ad inſolentem uictoriam uia: ſint tuis nocturnis, diurniſque uigilijs, & laboribus, quos ad ſpem diuini honoris, cæleſtiumque commodorum debes dirigere, ſint tuo illuſtri exemplo munitiores cæteri tui collegæ ad ſanctum initum certamen. Suſcipe inquam, cauſam, & curam minimè Chriſtiana conſtantia, & fortitudine alienam: ijs namque ſtudijs, in quibus tui ſimilibus magnopere elaborandum eſt, dignum laborum præmium, uitam immortalem conſequeris. Vale.

IVLII PERVSCI PATRICII ROMANI EPISTOLARVM

Liber Sextus.

IVLIVS PERVSCVS N. AMVlio Sanctæ Rom. Eccl. Car.

59

SI antiquorum regum, & clarorum imperatorum res domi, belloque geſtæ colligendæ ſunt; uel multorum Pontificum rectiſſimæ uitæ inſtituta capienda; facilè intelligemus permagni intereſſe ad ſummorum Principum decus, atque ad firmitatem imperij, fieri quoque poteſtatem tenuibus hominibus uel ad eorum aures aſpirandi, uel per literas tentatis rebus omnibus fidem, & obſeruantiam oſtendendi; & indigentes præterea ciues, in quibus præſertim nulla ineſt inertiæ, nulla improbitatis ſuſpicio, non corruere, non planè deſeri. Quod quidem, ut eximium ac non multæ moleſtiæ, nec multi conſilij negocium, ſic proprium Chriſtianæ inſtitu tutionis, ſic Deo decora admodum, & grata hoſtia eſt. Hæc ego (Pater ampliſſime) non eo ad te; ut

aut

aut aliunde petenda ſint tibi tantæ uirtutis exempla, cuius prudentia, doctrina, & mirificus magnarum rerum uſus elucet quaſi ſplendidiſsimũ ſydus in tot ſapientiſsimorum patrum conſilijs; aut putem tã dem huiuſmodi commemorationis genere flagrantia tua erga bonos omnes ſtudia nunc ad me ipſum iuuandum allicere, atque excitare: qui ſi non meo tibi merito commendatus eſſe poſſum; accurate tamen tui Syrleti uiri quidem ſpectatiſsimi cõmendationes, quas diligenter obſeruare ſoles, & tua in primis omnium ſermone celebrata humanitas debet iã poſuiſſe me in maxima apud te gratia: Sed quando ea eſt Pontificis maximi ſapientia, uirtus, integritas, ea animi altitudo, & uitæ innocentia, ut ex rebus à ſe perſanctè geſtis, ex moribus, atq; inſtitutis immanes ẽt nationes illũ ſuſpiciant, admirentur; angor uehemẽter, et ſolicitus ſum pro mea cõſtanti, propenſaq; in Sanctũ Apoſtolicum Senatũ uoluntate, quòd ad ſummũ imperium, ad præſtãtiſsima eius ornamẽta aliquid accedat eiuſmodi propter nõ dicam naturæ acerbitatẽ, ſed incõmodã potius ualetudinẽ, uel grauiſsimas curas: ut cum exceptione laudetur. Quod ſi tantus, ac tam ſingularis Princeps non pateretur implorari fruſtra ſuum nomen, atque auxilium, perſæpeque fieri cum uerborum, tum ſcripturarum iacturam; non eſſet locus in florenti ſuo principatu augendi clariſsimas uirtutes, & ueri, atque attenti Pontificis inſignia: Habere-

mus

mus profectò his ſtudijs expleta, & cumulata, quæ catholicum Dei genus exoptat. Quare (Vir Summe) cum unus ſis hac tempeſtate maximè omnium idoneus acie ingenij, magno et ingenuo animo, præclaroque rectè monendi, & orandi conſilio plurimum adferendum opis probis, & induſtrijs hominibus; non agam iam tecùm hortatione ſolum, ſed ſummis precibus; ut iſta, quæ tibi à Deo egregia data ſunt munera conferas ad perficienda optimi cogitata Pontificis, & ad ſuſcipiendas ſic partes, & officia pro eis, ut & dignus exiſtas in oĩ uita excelſo tã diuini Principis iudicio; et ex hac cura, huiuſmodiq; patrocinio cognoſcant præclariſſimi tui collegæ uniuerſi, quàm ualdè, quàm libenter poßit afflicta res Chriſtiana publica in tua fide, inque tua caritate, & uirtute acquieſcere. Vale.

IVLIVS PERVSCVS GVILLELmo Sirleto Sanctæ Ro. Eccl. Card. 60

HOMINES *qui extra culpam ſunt debent omnia ferre cum libenter, tum moderatè: Verum tamen ipſe cum uiderem ſuperioribus diebus dari locum ſermoni meorum obtrectatorum abs te tali uiro: quo patrono exiſtimaueram omnem calumniam effugere; cumque ſentirem falſum in me crimen, quaſi uenenatum telum iaci, & ea demum turpitudine, à qua inſtituto, & natura ſemper fui alienißimus, uitam meam uiolari, quæ priſtina tua beneuo-*

lentia, tuoque præſidio tegenda erat; non potui non magna ægritudine confici; neque ſic quidem animo ualui; quin dolori ſuccumberem quin tam incommoda laborarem ualetudine, ut ea iam, iamque emerſerim. Ais ad te delatum eſſe, me cum imminutione dignitatis tuæ locutum, me ualde conqueſtum fuiſſe de tuis erga illos officijs, qui tuo nomini, tuo ſtudio confidunt. Repeterem altius initia meæ demonſtrandæ innocentiæ; ſi iam uulgata admodùm, & nota omnibus, ac tibi præſertim non eſſet mea cum uita, tum liberè loquendi conſuetudo; quam ſi qui peruersè ex ſumma male uolentia, & liuore non ex certo ſenſu interpretati ſunt; & doleo non probari potius noſtram ingenuitatem, quàm illorum deteſtabilem temeritatem: & admiror in hoc, quòd tanta tua probitas, tantum licentiæ, tantum audaciæ dederit illi hominum generi, qui ab euangelica inſtitutione uidentur planè deſciſcere corrigentes nimirum non tacita, et occulta diligentia, ſed buccinarum cantu uitia hominum. Scio equidem mihi crimini dari, protuliſſe interdum in ueritatis lucem, quæ ſentio, liberéque omnia cuiuſmodi ſint, dixiſſe: Sed cauſa certè miſerrimorum temporum, et mira paucitas eorum hominum qui non inopes humanitatis ſint, qui non inani ſpecie clementiæ idoneos honeſtæ uitam in egeſtate degentes conſolentur, dedit mihi perſæpe facultatem lædendi nonnullos libere non iam licenter loquendo. De te uerò, deque tua eximia uirtute,

quæ

quæ potuit fieri mentio à me niſi honorifica? niſi magna cum laude? qui potui de te ipſe niſi honorifi centiſſ.mè loqui? & te niſi honorificentiſſimè appellare? cum tuas diurnas, noctturnasque uigilias omnes ad ſpem diuini honoris, cœleſtiumque commodorum ſemper contuleris: cum ad ſacratiſsimum iſtum locum non caſu, non ambitione ulla, non gratia, nec ui fortunæ, ſed admirabili ſapientia in rebus ſacris, prudentia in profanis, ſingulari doctrina, eruditione, ac iuſtitia in utriſque: ſed temperatiſsimis moribus, ac Deo potiſſimum duce deductus es. Ecquod tam nefarium, tamque inhumanum facinus in eum commiſi, quem ſupra mortalitatem omnem ſuſpexi ſemper, et ut ſplendidiſſimum ſydus inter tetras noſtri ſeculi nubes colui, ac prædicaui, niſi criminis loco arbitraris eſſe; quòd te pluris unum, quàm omnes tuos collegas fecerim; quòd multos tibi non omnino indiſertos commendauerim; me totum tibi patefecerim; quòd non plus à te, quàm homines perſpiciunt te poſſe poſtulauerim, quòd palàm oẽs meas curas, cogitationes, oẽs meorum liberorũ ſpes in tuo iſto ſenatorio munere, inq; tua humanitate collocauerim: et quod tãtus denìq; ardor animum meum occupauerit deſiderio te eum uidendi, cuius ex una, & propria uoluntate penderent, quæ ad noſtras ſuſtentandas difficultates pertinent ut nihil uel amore, uel obſeruantia in te mea potuerit fieri profuſius. Hæc ſunt uulnera, Pater Ampliſſime, quæ non poſſum tractare abſque gemitu,

quibus ita exanimatus ſum; ut non alio mihi ad tātam leuandam moleſtiam, quàm te optimo medico utendum ſit: qui præſertim inducere animos iacentes, & afflictos in ſpem, cogitationemque meliorem ſoles. Quare ſiue ſuſpicio ſit iſta tua, ſiue illorum opinio, qui conati ſunt meam integritatem cōuertere in culpam; te oro, atque obſecro, ut ſi forte me tibi hac puſilla defenſione ſatis purgatum eſſe nolueris; ſatis me iam pendiſſe pœnarum obiecti mihi criminis infirma mea ualetudine patiaris; & tibi præterea perſuaſiſſimum ſit; nullam eſſe tam acerbam, tamque inſignem iniuriam, quæ me etiam deſertum ab officijs tuis poſſit à ſtudio tui colendi, atque obſeruandi abducere.

IVLIVS PERVSCVS MVTIO Paſſamontio. S.P.D. 61

ADMONEOR, *Muti Optime, tum ex ſermone, tum ex conſilio, quo ſæpiſſimè curam, & angorem animi mei leuare ſolitus es; te minime omnium ignorare, quàm graui, & exitiali exitu concluſi fuerint caſus mei anno ſuperiore, amiſſa matre, erepto mihi filiolo, amiſſis etiam ſorte ſuper creandis tunc Cardinalibus quingentis aureis nummis; & ademptis denique non absque imminutione dignitatis noſtræ pecunijs loco mercedis conſtitutis optatiſſimo Cardinalatus tempore: in quo ſummam mihi tranquilitatem ſperaueram. Itaq; nunc ad earum rerum memoriam,*

quæ

quæ nihil planè delectationis afferunt, non te reuocabo, negotijs diſtrictum, & ab inani ſermone alienum. Tantum, ſcias uelim, illum quoque acceſſiſſe cumulum ad tot moleſtias, & ærumnas, quibus premebar; quòd nocte heſterna nihil huiuſmodi cogitans, ualente tamen Hortenſia, auctus fui puellula cuius ortus, fateor mediusfidius, tam terruit me denuntiatione quaſi futuræ difficultatis; ut & nullius unquàm ex quatuor ſuperioribus, & uerear præterea prudentum reprehenſionem; non quòd ego minimè inſuetus fortunæ contumeliæ, aut in unius mulierculæ amplificatione cõmouear, aut meæ me pudeat conditionis, aut diuinæ porrò ſim oblitus bonitatis. Sed quando in ſumma uirorũ magnorum copia, quibus creditæ ſunt gentes, quibus ad ſubleuandos homines facultates ſuppetunt, mira paucitas eorum eſt, qui non inopes humanitatis ſint, qui idoneos honeſtè uitam in egeſtate degentes non inani ſpecie clementiæ conſolentur, non deſerant, corruere non ſinant; ex eo, quod accidit uniuerſis, quid mihi itidem impendeat, ſuſpicor Quare cum non exiſtimem Deum tam auerſum eſſe à ſalute noſtra, ut tantus Cardinalis, cuius in beneuolentia, ſalute, gloria, & amplitudine omnem curam, induſtriam, ſpem, & cogitationes omnes noſtras fore ſitas putauimus, uelit egentes nos patrocinio, atq; auctore ad noſtras exponendas difficultates à ſe abſterrere, ſubiectos eius tutelæ à ſuo portu, ſuoq; profugio excludere; te unum delegi ex

cunctis, uel noſtri amantiſsimis, uel talis patroni, ac domini exiſtimationis ſtudioſiſsimis, qui pro humanitate, qua ſemper affluxiſti, ores illum ex meis uerbis, atq; obſecres, ut me ſumma quæq; de ſuis diuinis laudibus commemorantem non ignarus iam, quo genere ſubſidij ſubleuãdus ſim ſua ope, ſuis ſtudijs, ſuo ſplendidiſsimo nomine ſuſtentet: nec non idoneam nanciſcatur quàm mox occaſionem, ad aucupandam Pontificis gratiam, & beneficentiam in me, meiſq; liberis iuuãdis: nactæq; demũ ità occurrat, ut nec mihi, nec cæteris, qui ſuam ſecuti ſunt fidem, utendum ſit aliorum commendatione apud maximos Principes: & ipſe deinceps Cardinalis, apud quem debet ualere ex maiorum imagine humanitas, & animi altitudo, poſsit merito ad paucorum numerum aſcribi. Vale.

IVLIVS PERVCVS PETRO GVICIARdino Pro Auditore Cameræ Apoſtol. *62*

DECIMVM *iam annũ habui te inter eos, quos mihi fore magno præſidio, magnoque ornamẽto propoſui: tantaq; te, ac tã incredibili beneuolentia, & obſeruantia, ob tuas animi atq; ingenij uirtutes inde ſum proſequutus: ut cum de integritate, & doctrina illorum uirorum qui hac perluctuoſa ætate debent ad Sancti Apoſtolici Senatus gubernacula induci perſæpe ſermo apud nonnullos ampliſsimos patres haberetur, cum quibus diuturna mihi eſt inita familiaritas: ita ego*

acri ſtudio,& prædicatione uel tuam ſummam ſupra cætera, quæ in te ſunt pereximia in iure dicendo ſeueritatem,uel tuũ excellens in explicandis ſententijs iudicium extuli;ut nihil meo in te amore ſingulariq; uolũtate ſignificantius, atq; ardentius audiri,cognoſciq; ab eis potuerit:nec quicquàm propius ad mea optata accedere poterat,quàm te ĩ hũc eſſe adductum locum,in quo tantã tuam probitatẽ cum languens noſtra Roma,tum difficilis mearũ rerum conditio poſcit,et deſiderat.Qua de re tunc nõ tuo ſanè gauiſus cõmodo,res etenim plena ſolicitudinis eſt,& laboris admodũ,ſed communi omnium ciuium fœlicitati,meæ potiſſimum utilitati, & noſtri deniq; iuſtiſſimi Principis gloriæ , ac ſapientiæ gratulatus ſum: qui omnes euigilati ſui conſilij neruos ad talem iudicem,talemq; Rectorem ſeligendũ adhibuerit,quo nec peritior in eo ſuſtinendo munere,nec iuſtior excogitari poterat: Sed accidit fato neſcio,quo meo ſingulari; ut iam uſura falſi gaudij uidear prope mihi frui;non quod ipſe intelligam te non eſſe iudicem ueriſſimum, & doctorem ſapientiſſimum:non enim minus ſcis,quàm etiam uis unicuique ius ſuum tribuere, ſed quando nunc æquitatis magiſter effectus,qui antea eras fautor,ſinis impiã atque inauditam mei fratris cupiditatem ulterius in me ferri,iam auctum pergrandi filiorum numero non poſſum, qui tam optato tuo tempore oculos tanta feritate hominis,& ſæuitia ſperabam relaxare , non magnopere angi,non ſolicitus eſſe,præſertim cũ

tu,cuius in uultu,ore,oculis,prudentia,pietate,do-ctrina,ſeueritate debebam acquieſcere,eã cauſam, quæ nullius iudicis iudicio digna eſt, dignam tuo iudicio,dignam tuis auribus facias.Ego ſic me ob hãc domeſticam peſtem fracto, & afflicto animo ſentio: ut quibus uerbis tibi cauſam commendem,non queã reperire,neq; porrò intelligo cũ nihil de tuo munere,nihil de tua dignitate detractum uelim, quo me quærelarum genere de tanta immanitate proiectũ quidem ad Pontificis pedes,deceat uti, qui me his iam putat nefarijs liberatum controuerſiis. Tibi facile in memoriam redigere potes,quàm diu ſit,quòd ille tum frater,tum maior natu,tum ſacerdos, tum etiam Epiſcopus nullum reliquerit locum, & uexãdi familiam noſtram,& inſidiandi laboribus,atque induſtrijs meis,& uiolãdi præterea cuiuſcunq; fratris exiſtimationem Quod quàm inſigne ſit ad memoriam crudelitatis, ab ijs optime iudicabitur,quorum animi, & cogitationes à Chriſtiana ueritate, & pietate non deſciſcunt.Cauſam habes in primis ueram, Guiciardine Optime, de qua tot apparent iam dictæ ſententiæ,quibus ad unum omnes iudices aſſenſi ſunt,ut quintum,ac decimum ab hinc annum aßiduè in bonis extiterim; & millies demum eaſdẽ ſentẽtias recognouerint,et cõprobarint in ore,atq; oculis oĩum quatuor Pontifices nouißimi: quorum ſuperior nunquàm eius hoĩs commentationes, atq; iniurias non reſcindi,nunquàm non irritas eſſe uoluit:alter hoc maximè in eo admirari ſolebat,quòd

neque

neque uerbis, neque auctoritate potuerit illum tāta animi ægritudine, tam turpi ignominia, tantoq́ue ſu plicio leuare: Paulus uerò IIII. tā praui cordis inſpector non ſolùm illum animaduerſionis metu continere ſtudebat, ſed cum animaduertere in hominem cœpiſſet, tanta eius feritate impulſus animaduerſionem, & ſupplicium quo erat uſurus in eundem, noſtræ nō obſcuræ familiæ, mihiq́ue potiſſimum uni remiſit. Hic omnium noſtri temporis prudentiſſimus Pontifex, cum bis in Cardinalatu curauerit illū in carcerem contrudendum, nullum adhuc tanti criminis uindicem, quàm perpetuum carcerem exiſtimauit. Quare ad hoc ipſum diuina, & humana conſentiunt iura: ut ſcilicet, integram cauſam mihi ad omnem poſteritatem reſerues, expeditiſſimāq́ue pecuniam mihi adiudices. Habeo mehercule omnis ordinis, omnis claſſis, omnis fortunæ homines, & Vrbis denique uniuerſæ aures, oculoſq́ue teſtes tam honeſtæ, tam piæ, tam miſerandæ cauſæ locupletiſſimos: quorum huc neminem adducens, omneſq́ue omnino miſſos faciens ſolam aut animi tui conſcientiā, qua tu pulchrè uideris ſuſtentari, aut admirabilem tuā cum in legibus, tum in hominum etiam cordibus interpretādis ſciētiam imploro, atque appello. Vale.

IVLIVS PERVSCVS FVLVIO CORNIÆ Sanctæ Rom. Eccl. Card. 63

TALEM te præſtitiſti (Pater Ampliſsime) in Sertorio fratre uxoris meæ augendo, atq; ornando

nando, quales fermè ſi eſſēt nõnulli uel ex maximis Principibus; uel ex tuis collegis, quibus nõ deeſt facultas recreãdi, et ſubleuandi homines: non iã rerũ bonarum deſperatio permultorum aĩos occuparet: nihil in rebus publicis accideret ĩcõmodè: et melius profectò eiecta oĩ auaritiæ ſorde, ſplēderet Catholicum ſeculum. Tanta namque irrepſerunt pecuniæ ſtudia in mentes eorum qui affluunt diuitijs, ut parui hodie ſit probitas parui morum integritas, nullo loco numerentur præſtantes diſciplinæ: ad quod illud etiam accedit; quòd ſic ſe ipſi curant, ſibi vnis aſſiduè ſtudent, ut infamiã pariant. Cognoui mediusfidius ex ea liberalitate, qua nuper hominem cõplexus es, qua fide in tuos familiares, quà clementia eſſe ſoleas, quantum bonitatis effundas ipſe in aliorum commoda & emolumenta, quanti apud te ſit nauorum, & induſtriorum hominum ratio, & quàm denique abhorreas ab eorum inſtituto, & conſuetudine, qui ſuos præſertim peruetercs familiares non præmijs, non ullo ſubſidij genere: ſed inani, & cæca ſpe, ſed ſupplicijs potius eliciũt ad omnem cõficiendũ uitæ curſum in labore corporis atq; in animi cõtentione. Quapropter lætatus uehemēter ſum nòn tàm illum eſſe tuo iudicio, tuoq́ue illuſtri teſtimonio decoratum, & egregia ſua fide, ac diligentia prouocaſſe altitudinem animi tui, ſed tantum acceſſiſſe ex hac beneficentia cumulum ad tuas eximias uirtutes: ut ſpè iã certa niti poſsimus, fore tibi informato planè ad uniuerſæ rei Chriſtianæ publicæ usũ

ucn-

uenturam à Pio V. Pontifice Max. tum regni, ac po
teſtatis, tum rerũ ſanctiſsimè à ſe geſtarum hæredi-
tatem. Nactus eſt Sertorius, quod nulli hoc tempo-
re, uel perpauci, uirum imprimis memorem, natum
que ad alta, ad cæleſtia, tutorẽ fortunarum ſuarũ,
auctorem & aſcriptorem dignitatis, patronum de-
niq; ac dominum munificentiſsimum, cui maximè
uni uideo deberi omnes liberalitatis laudem: cuius
benignitas, & humanitas uincet cũctorum merita,
exiſtet sẽper ſuperior Habet Sertorius ipſe inſtitu
tus nimirum à ſuis tenerioribus annis ad præclara,
cur ſe ita paret, ita excolat: ut ad qualibet magna
promerenda beneficia iudicetur idoneus. Habes, &
tu (Vir ſumme) hominem, quem pulchrè noſti, cu
ius ſenſus egregiè tenes: cum tui cupidiſsimum, ac
ſtudioſiſsimum, tum ad imperium, & nutum tuũ pa-
ratiſsimum: qui quidem ſi ei contigerit, ut tibi poſsit
quandoq; inſigniorem operam, & ſtudium nauare:
neq; expectabit ipſe occaſionis tarditatem, & cur-
ret certatim ad ſuum munus accurandum. Qua de
re poſthac, et tua in eũ optima uoluntas non poterit
non eſſe expreſsior, & ego, quando colui te ſemper,
& ſuſpexi, retinebo memoriam tui ſplendidiſsimi no
minis: idq; pro mei exilitate ingenij à ſilentio, &
obliuione inferioris ætatis uindicabo.

IVLIVS PERVSCVS GVILLELMO
Sirleto Sanctæ Rom. Eccl. Card. 64

SI Roma ipſa loqui poſſet; nõ plenius ex ea acci
pere-

peretur (Pater ampliſsime) quomodo ſe ſe habeat nunc priuata iucūdiſsimo tuo aſpectu; quàm ex uultu, et ſermone multorū ciuium, quibus nō ſolùm tua ſumma uirtus, et prudētia, ſed tua ſingularia in bonum quēq; ſtudia iā diu nota fuere Ita quidem nos afflixit oēs tuus hinc diſceſſus; ut neque tu coniectura aſſequi, neq; literis ipſe complecti poſſem, & commutatum prope uideatur cum mœrore magnum illud gaudium, quo iam exiluit Res Chriſtiana publica ex tuæ ſibi cum optata, tum peropportuna dignitatis amplificatione. Verùm enimuero hæc ipſa ſolicitudo, atq; hoc tantum, & commune incommodum facilè eius rei compēſatione lenietur; quòd ſpe maxima ſumus, tam fore ſalutarem tuum ad iſtos populos, quibus præfectus es, acceſſum, egētiſsimos quidem tuæ medicinæ; ut breui ab eorum curationibus uacās, poſsis te primo tempore ad nos recipere. Quod ut fauſtè, abſolutè, ac te in primis valēte eueniat, Deum Op. Max. & ego, & liberi vniuerſi mei ſummis precibus oramus. Vale.

IVLIVS PERVSCVS VITELLO-
tio Vitelio S. Ro. Eccl. Cardinali. 65

PRoximis ſuperioribus temporibus, cum omnia tunc ex libera Pontificis volūtate & arbitrio penderent; hoc mihi aſperſit nonnihil moleſtiæ (Pater Ampliſsime) tum quòd ijs vni, qui plus gratia, & auctoritate pollerēt, quiq; immenſis opibus affluerent publicis rebus, publicis

muneribus potirentur: tum quòd tu, quem ſuſpexi ſemper, & colui nunquã in mei egentiſsimi hominis mentionem cum Pontifice incidere volueris: Nunc verò quando ipſe clauum totius imperij tenes, propterea, quòd res ad interregnum redit; quãtum animo maximum capere poſſum, dolore afficior: præſertim cum neq; perpetua mea in te obſeruantia, neque nota tibi meæ vitæ conditio impulerit te iſto Quæſtorio munere fungentem àd benè de me meisq; liberis merendum, neq; vlla demum tot præſtantiſsimorum virorum cõmendatio potuerit tam eſſe apud te accurata, vt dignus iudicarer, quẽ tuo ſtudio, tuaq; benignitate iuuares. Quapropter non dubitarunt in præſentia hæ literæ penetrare in auguſtiorem iſtum uſque locum: vnde omnis veræ probitatis, veræque pietatis uis debet emanare: ex quibus planè cognoſces, me non agere tecum hortatione ſolum, ſed ſummis precibus, vt ſtratos, & afflictos homines petentes à te opem, & medicinam egregijs tuis facultatibus ſubleues, corruere nõ ſinas. Noli pati, permagne Vir, fruſtra implorari tuum nomen, atque auxiliũ. Noli committere, vt tam crebris precibus mihi ſubſidium, & ſalus ſit impetranda, ne à laude maximi tui animi conuertãtur interdum homines ad opinionem ſæuitiæ, & tibi ipſi ſempiterni tẽporis gloriam eripias. Laudantur nimirùm noſtra tempeſtate rectiſsima, egregiaq; tua facinora. Laudabuntur maiorem in modum, ſi certè pro alienis cõmodis, & vtilitatibus multas curas, multas actiones ſuſceperis.

Potes

Potes nè obliuiſci, & non ſentire, qui ſis, quo floreas honore, qua gloria, quibus fortunis, quibus ingenij, cōſilij, gratiæ, ac bonorum omnium præſidijs? Non video, quid magnum, quid porrò inſigne, atque præclarum à tantis, ac talibus tuorum ornamentorum initijs non ſit ſperandum. Age iam manda quæſo diligenter, ac nominatim Muſciano per ſyngrapham: vt ex hiſce populi muneribus, quæ tibi etiã ad partiendũ pro arbitratu tuo reliqua feciſti, vnũ is mihi deferat loco maximi beneficij: quod .n. mihi ſorte obuenit, vel rogatu potius Pompeij Columnæ, id tenuè admodum, atque exile eſt. Integrum adhuc tibi eſſe video, ea vti animi altitudine, ac liberalitate, quæ me, meique ſimiles deditos tibi, ac tuæ volũtati, gratiæque proſequi debes: et quæ præterea à tuo ſtudio tuaque iſta Senatoria dignitate expectatur.

IVLIVS PERVSCVS PIO V. Pontifici Maximo. 66

VT Chriſtus colendæ pietatis auctor iuſſit languidũ ſurgere, & ambulare, quòd non erat ei vllus, à quo demitteretur in piſcinam: ſic tu, Pontifex Maxime inſiſtens in Saluatoris veſtigijs velis me oppreſſum permagno filiorũ onere, & egẽtem adiutore ad meas exponendas difficultates tuis diuinis opibus ſubleuare: atq; in hac nunc tibi non ignota perdifficili meæ vitæ conditione ita tuum pium nomen, & numen oſtendere, ut lætandum mihi, non iam pœnitẽdum ſit, quòd ad te imprimis quodque ad ſolam Sanctiſſimi Principis fi-

dem

dem, & liberalitatem confugerim, & ex priuato quoque in nos beneficio liceat intelligi quanta futura ſit cura, et ſtudium de aliena propulſanda inopia te optimo Pontifice ad alta cæleſtiaq; delecto.

IVLIVS PERVSCVS N. ALEXANdrino S. R. Eccle. Cardinali. 67

CVM te vnum hoc tempore Pontifex Maximus delegerit probata illi fide, bonitate, magnitudine animi, & moderatione tui, qui in primis pro tenuiorum hominum ſalute, & cõmodo multas curas, multas actiones ſuſcipias: non debet te (Vir ſumme) à ſtudio mei iuuandi ea res deterrere; quòd nulla mihi tecum familiaritas, nullus vnquam vſus fuerit: neque debeo porrò ipſe dubitare, quin opis mihi, ac patrocinij maximè indigẽti benignè ſis facturus. Quapropter non alliciã nunc pluribus verbis tua ad me ſubleuandum officia. Tantum te oro, & obſecro, vt quæ olim accepit ampliſſimus Reumanus à ſummo Pontifice mandata de meis liberis tuendis, ea tu pro humanitate; & beneficentia, qua viri optimi, & Senatores Chriſtianæ Reip. fortiſſimi affluere debẽt, ſic velis perſequi, et exhaurire, vt nunquã præſidium, nunquam nomen fruſtra videatur implorari tuum, et Pontifex ipſe qui propenſus admodum eſt ad bene de nobis merendum, ſit etiam tua opera, et cõmendatione propenſior. Vale.

IVLIVS PERVSCVS ALFONSO IEſualdo S. R. Eccl. Cardinali. 68

CVM iam pridẽ renunciato te Cardinale, opti-

mo tuæ ineuntis ætatis tēpore, oīa præclara, oīa egregia ſentirē de mirifica tuæ probitatis, atq. ingenij indole: adductus quidē ad hoc ipſum uel multorū bonorū teſtimonio, vel ſermone etiam tui Io. Franciſci Sonantij viri mehercule ingenuis, atq; vberrimis artibus ornati: Tū verò illa tuorū morū, illa tuæ humanitatis ſuauitas, quā ego, & frater meus Epiſcopus Ciuitatenſis cognouimus ex tua liberaliſsimæ erga nos voluntatis ſignificatione: cum te ambo vnà honoris cauſa viſeremus: ità confirmauit meū priſtinum de te iudicium, ut non ſolum præcipua te quadam obſeruantia colēdum, quē antea cōmuni illo ſtudio, quod tuo maximè illuſtri nomini, tuæq. amplitudini debetur, tantūmodo diligebam: ſed dolendum mihi præterea duxerim, quòd nō eiuſmodi fuerit meæ fortunæ conditio, ut idoneus eſſem, qui rebus, & cōmodis tuis ſeruirē. Facilè.n. intelligere potuiſſes, quanti apud me ſint virorum talium, taliumq; Cardinalium ornamenta, & quàm denique plena eſſent mea erga te officia cum amoris, tum fidei. Quapropter cum nullis queam te proſequi officijs abſentem, noſtriq; amantiſsimum, oro te, atq; obteſtor, ut exiles, incultasque has literas velis loco maximorum officiorum in manus ſumere, teq; nobis talē in beneuolētia, benignitateq; præbere, qualem iam eſſe erga cæteros vniuerſos videmus, & qualem tui generis nobilitas, animiq. præſtantia, & Senatorium iſtud munus, quod tibi à Deo aſsignatum eſt, poſcit, ac deſiderat.

F I N I S.

CHRISTIANAE REIPVBLI-cæ Senatori Maximè Illuſtri Cardinali Eccleſię. Iulius Peruſcus.

ILLVD proprium, ac perenne manet apud me de uirtute; ut quod in cæteris uſu diuturnaq; accidit conſuetudine, ea me ad ſummè illos diligendos, qui ipſius compotes uirtutis ſunt, repentè alliciat. Quapropter cum admirabilis tuorum ornamentorum fama, cum ſingularis tua ſit uirtus, et quod caput eſt probata multis, clariſque rebus Pio Quinto Pontifici omnium ſapientiſsimo, atque optimo, qui & Deo ipſe, hominibusq; probatus eſt; & non probat niſi congruentes cum ſua diſciplina; non poſſum non accendi miro deſiderio cum tuî colendi, atque obſeruãdi; tum tibi, ac Pontifici item ipſi & meo, & publico nomine gratulandi de eximio beneficio, quo nuper is affecit Chriſtianas nationes ex tanta, tamq; opportuna deliberatione, quam habuit de te nunc ad Reip. gubernacula acciendo: Cui quidem per quàm attento, noſtræq; incolumitatis ſtudioſiſsimo paſtori ſi minus ſatis nos futuri ſumus ad referendam gratiam idonei; ad agendam certè, atque habendam ſatis unà omnes faciemus. Auxit enim ſanctum Apoſtolicum Senatum eo uiro, eoq; auctore publici conſilij, cuius ſimiles quàmplures ſi olim ſuperio

res Pontifices aſciuiſſent ſibi conſiliarios, & adminiſtros; non inſultaſſent tot annos in noſtrorum ſacerdotum nomen perditi, ac profligati animi; neque adeſſent iam, atque impenderent horribiles illæ diſſidentium opinionum procellæ, quas non niſi ſtante diuinæ benignitatis aura deuitabimus; & hominum præterea in ſalute Romani imperij uigilantium præclara eſſet conditio. Grauem ſanè perſonã ſuſtinent teterrima noſtra tẽpeſtate Cardinales ij, quibus pietas, & religio prima ſunt; qui et errãtes animos præceptis diuinæ diſciplinæ in uiam reducere, & quæ uerbis ipſi, atque ſuaſionibus tradunt re ſtudent, ac moribus exprimere; qui populorum, ac gentium tranquillitati non ſolum per ſe, ſed per alios etiam uelint eſſe proſpectum; qui beneficentiam, abſque præmiorum ſpe exercent: æquitatem, atque imbecillitatem aduerſus mendacium, aduerſus iniuriam tuentur; non rerum flexibilium fallaciſſima ſpecie decipiuntur; nihil omnino agunt, nihil ſecum meditantur, in quo non certiſſima charitatis argumenta, non expreſſa Senatoriæ amplitudinis indicia eluceant. Verum enimuerò huiuſmodi curæ, huiuſmodique cogitationes, quibus rerum omnium laudandarum inſpector Deus gaudet ſunt ſplendidè admodum, planeque diuinæ: ſunt dignæ Cardinale, & Cardinale immortali: ſunt florentes denique ſolida ea gloria, ueriſſimiſque ijs laudibus, quæ nos cum illo cæleſtium animorum cœtu

con-

coniungunt. Delata eſt tibi diuinitus omnium maxima, in qua te oſtendas occaſio euigilato nimirum illius Principis conſilio, qui alia longè ſequutus eſt in te honeſtãdo, ac permulti ex ſuperioribus: Dedit honorẽ non propinquitati, non familiæ, non gratiæ, non diuitijs: ſed merito, ſed uirtuti, ſed Tibi ipſi, Ecclesia ſpectatiſſime, ut Eccleſia Eccleſiam reficias. Ingreſſus iam es in magnum, in frequentiſſimũ uelu ti Theatrum ingenij, atque induſtriæ tuæ. Habes ad optimam tuam erga bonum quemque uoluntatẽ declarandam certos, & conſtantes curſus, quorum ueſtigia non poteris iam tum inflectere, neque te quicquam ex eis reuocare; cum præſertim Pontificem tam exploratæ probitatis intueberis; uitam ipſius imitaberis; gratam ſui excelſi, atque incorrupti iudicij memoriam, quo te dignum duxit, opera, labore, ſtudijsque omnibus comprehendes: cum tuorum meritorum præmia à te uno quotidie ſumes; & mercedem uirtuti ſtatues eſſe uirtutis uſum: quo unumquodque minus iucundum, unumquodque minus utile eſt ad memoriæ diuturnitatem: ſed me, qui Tibi neque ulla priuata familiaritate coniunctus, neq; de facie, aut nomine prope ſum notus, miraberis (antiſtes ampliſſime) quid cauſæ impulerit, ut à ſuſcepto gratulandi munere, in quo debet omnium ordinum conſenſus uerſari, fuerim ad hanc quaſi hortandi rationem, qua tu minimè indiges, delapſus. Tamen conſideranti mihi

cum animo meo tam turbatum orbis terræ ſtatum, tam etiam anguſto loco eſſe hoc tempore catholicam rem, debes ignoſcere: ſuſpicientique præſtantes tui animi impetus ad Chriſti gloriam ita fauere: ut & nullo præſidio, quàm te poßim eße munitior ad palàm, atque apertè cum eis uiris agẽdum, quorum nobis ope, atque auctoritate nitendum eſt ad ſpem tutius, atque auguſtè magis uiuendi: & ex tuis porrò cum Pontifice Maximo collocutionibus cognoſcam interdum, quanti per te apud eundem ipſum Pontificem futura ſint Ponderis eorum hominum uel uerba, uel literæ, quibus antiquior eſt eccleſiaſticæ maieſtatis, quàm propriæ ſalutis cura. Vale, Deum Optimum Maximum orabimus: ut æquare tuæ uitæ ſpatia cum ijs bona uelit, quæ ſumma, ac diuturna in te res Chriſtiana publica deſiderat.

FINIS.

Admonitum te velim Lector Candide, non nulla huius libelli errata sic esse emmendanda &c.

Epistola. 5. versu. 2. sic legito Acerbissime afflictamur.

Epistola. versu.

8. 86. Semper obuersatur.

9. 119. Initam insigni

9. 149. Satisfacias, nec fidem

9. 181. In hac cura

24. 3. Incitatum cognouerim

10. 20. Omnium artuum.

26. 47. Pusilloque illarum opum

27. 58. Cubiculorum cultu.

Epistola, et uersus
37. 3. Sed cum tam molesto.
38. 2. Aut permissa tibi
42. 2. Tam immoderatam
44. 21. Quo in genere occupatio
44. 22. Ab reiectam aliis [illegible]
51. 27. Imperij uestri collocarant
51. 49. Sed cum ea sit propria
6. 30. Meritasque ipsi Deo gratias
6. 33. Tibi uero, et Pontifici max
8. 12. Patriam in tam terras.
54. 12. Ad tuam fidem, et clientel
58. 1. Tuo isthuc ad sacrum.
Epistola ultima, Penultimo uersu
Cum ijs bonis uelit.

Epiſtola Marij filij ad Alexandrū
Sforziam Card.lem verſu. 41.
Jeuſum rerum magna
rum percallere.
Epiſtola Joannis Baptiste Gabij in
extremo. Exiſtimat anteponendam.
Cum igitur adoleſcens hic patrijs in
ſistens ueſtigijs tale iam de se speci
men dare cœperit, non uerebor.
Epiſtola. verſu.
10. 67. Intelligat à me na
uiter, atq; integrè proſ
pectum —